
DE BENEDICTIONIBUS




« ... elevatis manibus suis, Iesus benedixit eis ... »

Lc 24, 50

RITUALE ROMANUM
EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI
CONCILII VATICANI II INSTAURATUM
AUCTORITATE IOANNIS PAULI II PROMULGATUM

DE BENEDICTIONIBUS

EDITIO TYPICA



TYPIS VATICANIS

Editio typica 1984
Reimpressio 1985
Reimpressio 1993
Reimpressio 2013

Tel. 06.698.85003 - Fax 06.698.84716

ISBN 978-88-209-8895-1



CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

Prot. N. 1200/84

DECRETUM

Benedictionum celebrationes, inter sacramentalia ad bonum pastorale populi Dei ab Ecclesia instituta, peculiarem obtinent locum. Ipsæ enim, quatenus liturgicæ actiones, christifideles ad Deum laudandum adducunt eosque disponunt, ut præcipuum sacramentorum effectum attingant atque varia vitæ adiuncta recte sanctificent.

Sacramentalium vero recognitionem præcipiens, Œcumenicum Vaticanum II Concilium statuit ut in illis celebrandis conscia, actuosa et facilis christifidelium participatio summopere esset attendenda atque ab eis prorsus arcerentur ea, quæ decursu temporum sacramentalium naturam ac finem minus elucentia reddidissent.

Idem autem Concilium insuper decrevit ut benedictiones reservatæ perpaucæ exstarent, et in favorem tantum Episcoporum vel Ordinariorum atque opportune provideretur, quo sacramentalia quædam, saltem in specialibus rerum adiunctis et de iudicio Ordinarii, a laicis congruis qualitatibus præditis administrari possent.

Quibus decretis obsecuta, Congregatio hæc pro Cultu Divino novum Ritualis Romani titulum apparavit, quem Summus Pontifex Ioannes Paulus II Auctoritate Sua Apostolica approbavit evulgarique iussit.

Quapropter eadem Congregatio, de speciali mandato Summi Pontificis, *Ordinem Benedictionum* publici iuris facit, qui, lingua latina exaratus, statim ac prodierit vigere incipiet; linguis autem vernaculis, cum interpretationes a Sede Apostolica sint recognitæ, a die quem Conferentiæ Episcoporum statuerint.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Congregationis pro Cultu Divino, die 31 maii 1984.

✠ AUGUSTINUS MAYER, O. S. B.
Archiep. tit. Satrianensis
Pro-Præfectus

✠ VERGILIUS NOË
Archiep. tit. Voncariensis
a Secretis

PRÆNOTANDA GENERALIA

PRÆNOTANDA GENERALIA

I. Benedictio in historia salutis

1. Omnis benedictionis fons et origo[1] est Deus super omnia benedictus,[2] qui unus bonus cuncta bene fecit, ut creaturas suas benedictionibus adimpleret[3] et semper eas, etiam post hominis lapsum, in signum misericordiæ concessit.

2. At ubi venit plenitudo temporis, Pater Filium suum misit atque per eum, qui carnem sumpsit, homines in omni spiritali benedictione iterum benedixit.[4] Et ita vetus maledictio nobis in benedictionem transiit cum « ortus est sol iustitiæ, Christus Deus noster; qui solvens maledictionem, dedit benedictionem ».[5]

3. Maxima Patris benedictio, Christus in Evangelio apparuit benedicens fratribus, præsertim minimis,[6] et orationem benedictionis ad Patrem dirigens.[7] Denique, gloria a Patre donatus et in cælum ascendens in fratres, quos sanguine acquisiverat, Spiritus sui donum effudit, ut eius ducti virtute Deum Patrem in omnibus laudarent et magnificarent atque eum adorarent eique gratias agerent, et caritatis opera exercentes inter benedictos regni connumerari mererentur.[8]

[1] Cf. *Missale Romanum,* ex decreto sacrosancti œcumenici Concilii Vaticani II instauratum, auctoritate Pauli PP. VI promulgatum, ed. typ. altera, Romæ, 1975: Benedictiones in fine Missæ, Benedictiones sollemnes, n. 3, Initio anni.

[2] Cf. Rom 9, 5.

[3] Cf. *Missale Romanum,* Prex Eucharistica IV, n. 117.

[4] Cf. Gal 4, 4; Eph 1, 3.

[5] Cf. *Officium divinum* ex decreto sacrosancti œcumenici Concilii Vaticani II instauratum, auctoritate Pauli PP. VI promulgatum, *Liturgia Horarum* iuxta ritum Romanum, ed. typ., vol. IV, Romæ 1972: In Nativitate B. Mariæ Virginis, die 8 septembris, ad Benedictus, antiphona.

[6] Cf. Act 3, 26; Mc 10, 16; 6, 41; Lc 24, 50 etc.

[7] Cf. Mt 9, 31; 14, 19; 26, 26; Mc 6, 41; 8, 7. 9; 14, 22; Lc 9, 16; 24, 30; Io 6, 11.

[8] Cf. *Missale Romanum,* Commune Sanctorum et Sanctarum: 9. Pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt, collecta.

4. Per Spiritum enim Sanctum, Abrahæ benedictio[9] in Christo magis magisque adimpletur, cum in filios transit qui ad novam vitam « in omni benedictionis plenitudine »[10] vocati sunt, quatenus membra corporis Christi effecti fructus eiusdem Spiritus ad mundum benedictione divina sanandum prorsus diffundant.

5. Ad Christum Salvatorem aspiciens Pater primum fœdus sui amoris erga homines iam multiplici benedictionum effusione confirmaverat. Hoc modo populum electum ad Redemptorem suscipiendum præparavit eumque fœderis dignum in dies effecit. Populus vero in viis iustitiæ ambulans, ore et corde Deum honorare potuit, benedictionis divinæ signum ac sacramentum in mundo factus.

6. Deus autem, a quo omnis benedictio descendit, hominibus iam eo tempore concessit, ut, præsertim patriarchæ, reges, sacerdotes, levitæ, parentes[11] nomen eius laudando benedicerent eiusque nomine alios homines et res creatas divinis benedictionibus cumularent.

Cum vero Deus sive per se benedicit, sive per alios, semper quidem Domini adiutorium promittitur, eius gratia annuntiatur, eius fidelitas erga fœdus initum prædicatur. Cum quidem homines benedicunt, eum laudant quem bonum et misericordem proclamant.

Deus enim benedictionem impertit bonitatem suam communicando vel prænuntiando. Homines benedicunt Deum eius laudes proferendo, ei gratias agentes, pietatis cultum et obsequium eidem tribuentes, et cum ceteros benedicunt, Dei adiutorium vel super singulos vel super cœtus congregatos invocant.

7. Scriptura Sacra testante universa quæ Deus creavit et iugiter sua gratia providenti in mundo sustentat, benedictionem Dei referunt et ad eum benedicendum trahere debent.[12] Quod præsertim tenendum est postquam Verbum caro factum, res omnes mundi Incarnationis suæ mysterio sanctificare cœpit.

Attamen benedictiones primo et principaliter Deum respiciunt, cuius magnitudinem et bonitatem extollunt; quoniam vero beneficia

[9] Cf. Gen 12, 3.

[10] S. BASILIUS, *De Spiritu Sancto*, cap. 15, 36: PG 32, 131. Cf. S. AMBROSIUS, *De Spiritu Sancto*, I, 7, 89: PL 16, 755; CSEL 79, 53.

[11] Cf. Gen 14, 19-20 — Hebr 7, 1; Gen 27, 27-29; 38, 40 — Hebr 11, 20; Gen 49, 1-28 — Hebr 11, 21; Deut 21, 5; Deut 33; Ios 14, 13; 22, 6; 2 Chr 30, 27; Lev 9, 22-23; Neh 8, 6; Sir 3, 9-11.

[12] Cf. v. gr. Dan 3, 57-88; Ps 65 (66), 8; 102 (103); 134 (135); 1 Tim 4, 4-5.

divina communicant, homines etiam spectant quos Deus sua providentia regit atque tuetur; at etiam ad res creatas diriguntur, quarum copia et varietate Deus hominem benedicit.[13]

II. Benedictiones in vita Ecclesiæ

8. Præceptis Salvatoris monita, Ecclesia calici benedictionis participat,[14] gratias agendo Deo pro inenarrabili dono eius in mysterio Paschali prima vice acquisito, in Eucharistia deinde nobis communicato. Nam ex eucharistico mysterio Ecclesia gratiam et virtutem haurit per quas et ipsa in mundo fit benedictio, et tamquam universale salutis sacramentum,[15] inter homines et pro hominibus opus sanctificationis semper exercet, et cum Christo capite in Spiritu Sancto Patrem glorificat.

9. Multifariam Ecclesia, Spiritus Sancti operante virtute, hoc suum exprimit ministerium unde plures instituit benedicendi formas, quibus homines ad Deum laudandum vocat, ad eius expostulandam protectionem allicit, ad illius misericordiam vitæ sanctitate promerendam adhortatur, ad eius beneficia impetranda preces adhibet, ut ea quæ invocat, felicem consequantur effectum.

Huc ergo accedunt benedictiones ab Ecclesia institutæ, quæ sunt signa sensibilia quibus « significatur et modo singulis proprio efficitur »[16] et illa hominum in Christo sanctificatio et illa Dei glorificatio, quæ finem constituunt ad quem omnia alia Ecclesiæ opera contendunt.[17]

10. Utpote signa, quæ Dei verbo innituntur et operante fide celebrantur, benedictiones illustrare intendunt et manifestare debent vitæ novitatem in Christo, quæ Sacramentis Novi Fœderis a Domino institutis oritur et crescit. Benedictiones insuper in aliquam Sacramentorum imitationem institutæ, semper effectus præsertim spiritales significant, quos vero ex Ecclesiæ impetratione obtinent.[18]

[13] Cf. Gen 27, 27; Ex 23, 25; Deut 7, 13; 28, 12; Iob 1, 10; Ps 64 (65), 11; Ier 31, 23.
[14] Cf. 1 Cor 10, 16.
[15] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen Gentium*, n. 48.
[16] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 7.
[17] *Ibidem*, nn. 7 et 10.
[18] Cf. *ibidem*, n. 60.

11. Persuasum hoc sibi habens, Ecclesia sollicita est, ut celebratio benedictionis ad Dei laudem et exaltationem re vera cedat et ad spiritale eius populi emolumentum ordinetur.

Quo autem clarius hoc pateat, antiqua ex traditione, formulæ benedictionum eo spectant ut imprimis Deum pro eius donis glorificent eiusque impetrent beneficia atque maligni potestatem in mundo compescant.

12. Deum in omnibus glorificans et præsertim attendens ad gloriæ Dei manifestationem erga homines, gratia renatos vel renascendos, Ecclesia benedictionibus pro eis et cum eis Dominum collaudat in peculiaribus vitæ adiunctis, et super eos eius gratiam invocat. Interdum autem Ecclesia etiam res et loca sive ad navitatem humanam sive ad vitam liturgicam, ac pietatem et devotionem spectantia benedicit, hominibus tamen semper præ oculis habitis, qui illis rebus utuntur et in illis locis operantur. Homo enim, pro quo omnia Deus et bona voluit et fecit, receptaculum est sapientiæ eius, et benedictionis ritibus se ita rebus creatis uti fatetur, ut ipso earum usu Deum quærat, Deum diligat, uni Deo fideliter serviat.

13. Fide ducti christifideles, spe roborati et caritate compulsi, non solum bonitatis divinæ vestigia in universis rebus creatis sapienter dignoscere valent, sed et in operibus humanæ navitatis Christi regnum implicite quærunt et insuper omnes mundi eventus tamquam signa considerant paternæ illius providentiæ qua Deus omnia regit atque sustentat. Semper ergo et ubique occasio præbetur Deum per Christum in Spiritu Sancto laudandi, invocandi eique gratias reddendi, dummodo agatur de rebus, locis, vel adiunctis quæ normæ vel spiritui Evangelii non contradicant. Ideo unaquæque celebratio benedictionis pastorali iudicio semper est subicienda, præsertim si periculum admirationis apud fideles vel ceteros oriturum prævideri possit.

14. Pastoralis huiusmodi benedictionum consideratio eiusdem Concilii Œcumenici Vaticani II verbis congruit: « Liturgia Sacramentorum et Sacramentalium id efficit ut fidelibus bene dispositis omnis fere eventus vitæ sanctificetur, gratia divina manante e mysterio Paschali Passionis, Mortis et Resurrectionis Christi, a quo omnia Sacramenta et Sacramentalia suam virtutem derivant; nullusque pæne rerum ma-

terialium usus honestus ad finem hominem sanctificandi Deumque laudandi dirigi non possit ».[19]

Ita benedictionum ritibus ad præcipuum Sacramentorum effectum suscipiendum homines disponuntur et varia eorum vitæ adiuncta sanctificantur.

15. « Ut hæc plena efficacitas habeatur, necessarium est ut fideles cum recti animi dispositionibus ad sacram Liturgiam accedant ».[20] Quare illi qui benedictionem Dei per Ecclesiam expostulant, dispositiones suas ea fide confirment, cui omnia sunt possibilia;[21] spe innitantur, quæ non confundit;[22] caritate præsertim vivificentur, quæ mandata Dei servanda urget.[23] Ita enim homines bonam Dei voluntatem quærentes[24] benedictionem Domini plene intellegent et vere consequentur.

III. De officiis et ministeriis

16. Benedictiones Ecclesiæ liturgicæ sunt actiones, ideoque communitaria celebratio quæ interdum requiritur, liturgicæ precationis indoli melius respondet, et dum per Ecclesiæ orationem veritas fidelibus proponitur, adstantes ad Matris vocem corde et ore participandam adducuntur.

Pro benedictionibus maioris momenti, quæ Ecclesiam localem spectant, convenit ut diœcesana communitas vel parœcialis, episcopo vel parocho præside, congregetur.

Sed et ceteris quoque benedictionibus præstat ut fideles intersint: quod enim pro aliquo cœtu peragitur in totam quodammodo communitatem redundat.

17. Quando autem nullus adest fidelium cœtus, tum ille qui benedicere Deum vult vel benedictionem divinam petit tum minister qui celebrationi præest, memores esse debent se iam Ecclesiam repræsentare celebrantem, ita ut ex eorum communi oratione et petitione

[19] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 61.
[20] *Ibidem*, n. 11.
[21] Cf. Mc 9, 23.
[22] Cf. Rom 5, 5.
[23] Cf. Io 14, 21.
[24] Cf. Rom 12, 2; Eph 5, 17; Mt 12, 50; Mc 3, 35.

benedictio « licet per hominem, non tamen ab homine » [25] descendat, quatenus est « sanctificationis et gratiarum votiva collatio ».[26]

Celebratio benedictionis rerum vel locorum de more ne fiat sine participatione alicuius saltem fidelis.

18. Ministerium benedictionis coniungitur cum peculiari exercitio sacerdotii Christi et secundum locum et officium unicuique in populo Dei proprium, sequenti ratione exercetur:

a) *Episcopo* competit illis potissimum præesse celebrationibus, quæ universam communitatem diœcesanam spectant et quæ peculiari sollemnitate magnoque populi concursu peraguntur, qua de re quasdam celebrationes, præsertim forma sollemniore peractas, ipse sibi reservare potest.[27]

b) *Presbyteris,* ut eorum servitii natura erga populum Dei requirit, præesse competit benedictionibus, illis præsertim quæ communitatem respiciunt, ad cuius servitium deputantur, ideoque omnes benedictiones huius libri celebrare possunt, nisi præsens sit Episcopus, qui eisdem præsideat.

c) *Diaconis,* utpote adiumentum præstantibus Episcopo eiusque Presbyterio quatenus verbi, altaris et caritatis ministris, competit præsidere nonnullis celebrationibus, ut suo loco indicatur.

Quotiescumque vero adest sacerdos, ipsi opportunius munus præsidendi tribuendum est, dum diaconus ei ministrabit in actione liturgica propria munera exercens.

d) *Acolythis* atque *lectoribus,* qui peculiari munere in Ecclesia e collata ipsius institutione funguntur, facultas quasdam benedictiones impertiendi iure præ ceteris laicis tribuitur, de iudicio Ordinarii loci.

Alii etiam *laici* viri ac mulieres, vi sacerdotii communis, cuius munere in Baptismo et Confirmatione sunt aucti, sive proprii muneris virtute (ut parentes pro filiis), sive ministerium extraordinarium exercentes, sive alia peculiaria munera in Ecclesia exsequentes, ut religiosi vel catechistæ nonnullis in regionibus, de iudicio Ordinarii loci [28] cum nota sit eorum debita institutio pastoralis necnon prudentia in proprio munere apostolico fungendo, quasdam benedictiones, ritu

[25] Cf. S. CÆSARIUS ARELATENSIS, *Sermo* 77, 5: CCL 103, 321.
[26] S. AMBROSIUS, *De Benedictionibus patriarcharum,* 2, 7: PL 14, 709; CSEL *De Patriarchis,* 32, 2, 18.
[27] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 79.
[28] Cf. *ibidem.*

et formulis pro ipsis prævisis, celebrare possunt, prout in unoquoque Ordine indicatur.

Cum vero adsit sacerdos vel diaconus, ipsi munus præsidendi relinquatur.

19. Fidelium participatio eo magis actuosa erit, quo altior ipsis impertietur de momento benedictionum institutio. Presbyteri igitur et ministri in ipsis celebrationibus necnon in prædicatione et in catechesi benedictionum significationem atque vim christifidelibus proponant.

Maxime enim præstat populum Dei doceri de recta significatione rituum et precum quibus Ecclesia in benedictione impertienda utitur, ne in celebrationem sacram aliquid inducatur quod vel superstitione vel vanæ credulitatis permixtione, fidei noceat puritati.

IV. De celebratione benedictionis

De structura typica

20. Celebratio typica benedictionis duas partes præcipuas exhibet quarum prior est proclamatio verbi Dei, altera vero laus divinæ bonitatis et auxilii cælestis impetratio.

Celebratio de more brevibus ritibus aperitur atque concluditur.

21. Pars prior eo tendit ut benedictio signum sacrum revera fiat, quod ex verbi Dei proclamatione sensum haurit et efficaciam.[29]

Centrum ergo huius primæ partis est proclamatio verbi Dei, ad quam tum monitio introductoria tum brevis explicatio, vel adhortatio aut homilia quæ pro opportunitate addi possunt, iure referuntur.

Ad fidem vero participantium magis excitandam, psalmus vel cantus vel sacrum silentium opportune interponuntur, præsertim si plures lectiones fiunt.

22. Pars altera eo tendit ut, ritibus et precibus Deus laudetur eiusque auxilium per Christum in Spiritu Sancto impetretur. Huius autem partis centrum constituit formula benedictionis, seu oratio Ecclesiæ, quam peculiare signum sæpe comitatur.

[29] Cf. *Missale Romanum,* Ordo Lectionum Missæ, Ed. typ. altera, Romæ, 1981, Prænotanda, nn. 3-9.

Ad orationem vero adstantium magis fovendam, addi potest communis prex, quæ de more orationem benedictionis præcedit, interdum vero sequitur.

23. In celebrationibus propositis elementa potiora, uti sunt proclamatio verbi Dei et Ecclesiæ oratio, quæ numquam omittenda sunt, etiam in Ritibus brevioribus, a ceteris elementis, in aptatione celebrationis, sedulo distingui debent.

24. Insuper in celebratione disponenda hæc apprime notentur:

a) forma communitaria plerumque præferatur [30] ita ut in ea diaconus, lector, psalmista, schola propria munera exerceant;

b) normæ primariæ attendatur de conscia, actuosa et apta participatione fidelium;[31]

c) rerum et adstantium adiunctis opportune consulatur,[32] servatis principiis horum rituum instaurationis et normis a competenti auctoritate traditis.

De signis adhibendis

25. Signa visibilia quæ sæpe orationes comitantur eo præsertim tendunt ut salutiferas actiones Domini in mentem revocent, necessitudinem quandam cum præcipuis Ecclesiæ Sacramentis ostendant, ideoque adstantium fidem alant eorumque attentionem ad ritum participandum excitent.[33]

26. Signa autem quæ potissimum adhibentur hæc sunt: manuum extensio vel elevatio vel iunctio, manuum impositio, signum crucis, aspersio aquæ benedictæ et incensatio.

a) Cum formula benedictionis sit in primis « oratio », minister prout in singulis Ordinibus indicatur manus vel extendit vel elevat vel iungit.

b) Peculiarem locum inter signa benedictionis manuum impositio obtinet, sicut Christus in usum habuit, qui de discipulis loquens,

[30] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 27.
[31] Cf. *ibidem*, n. 79.
[32] Cf. *ibidem*, n. 38.
[33] Cf. *ibidem*, nn. 59-60.

dixit: « super ægrotos manus imponent et bene habebunt » (Mc 16, 18), et in Ecclesia et per Ecclesiam hoc signum adhuc peragit.

c) Sæpe etiam, iuxta antiquam Ecclesiæ traditionem, crucis signum proponitur.

d) Aquæ benedictæ aspersio in quibusdam Ordinibus proponitur. Tunc ministri adhortentur fideles ad paschale mysterium commemorandum et ad fidem Baptismi renovandam.

e) In quibusdam Ordinibus incensatio adhibetur, quæ est signum venerationis et honoris, et aliquando Ecclesiæ orationem adumbrat.

27. Quamvis signa in benedictionibus adhibita, et præsertim crucis signum, quandam evangelizationem et fidei communicationem exprimant, ad actuosiorem reddendam participationem et ad periculum vitandum superstitionis, benedictionem rerum et locorum solo signo externo, nulla verbi Dei vel alicuius precis habita ratione, de more impertire non licet.

De modo uniendi celebrationem benedictionis cum aliis celebrationibus vel cum aliis benedictionibus.

28. Cum quædam benedictiones peculiarem necessitudinem cum Sacramentis præ se ferant, interdum coniungi possunt cum Missæ celebratione.

In Rituali de Benedictionibus indicantur quænam sint huiusmodi benedictiones, qua cum parte vel ritu coniungendæ et pro singulis casibus normæ rituales præbentur, quas prætergredi non licet. Aliæ vero benedictiones nullo modo coniungendæ sunt cum celebratione eucharistica.

29. Cum aliis celebrationibus, quædam benedictiones coniungi possunt, ut suis locis in Ordinibus indicatur.

30. Opportunum interdum esse potest plures benedictiones unica celebratione peragere. In celebratione disponenda hoc præ oculis habeatur: adhibeatur Ordo qui benedictionem potiorem respiciat, additis in monitione et in precibus aptis verbis et signis, quibus manifestetur intentio alias quoque benedictiones impertiendi.

De munere ministri in præparanda ordinandaque celebratione

31. Meminerit minister benedictiones in primis fideles respicere, at celebrari posse quoque pro catechumenis et, attentis normis can. 1170, nisi obstet Ecclesiæ prohibitio, etiam non catholicis.

Ad benedictiones modo communitario cum fratribus seiunctis celebrandas singulis in casibus normæ ab Ordinario loci datæ serventur.

32. Celebrans vel minister, omnibus consideratis adiunctis, votis etiam fidelium auditis, facultatibus in variis Ordinibus concessis pro opportunitate utatur, structuram vero servet, nec partium principalium ordinem ullo modo perturbet.

33. In celebratione communitaria peragenda attendatur ut omnes, sive ministri sive fideles, munere suo fungentes, totum id, quod ad ipsos pertinet, cum decore, ordine et pietate agant.

34. Itemque attendatur ad indolem peculiarem temporis liturgici, ut monitiones et preces fidelium vinculum cum annuo Christi mysteriorum circulo habeant.

De vestibus liturgicis adhibendis

35. Episcopus, cum maioris momenti celebrationibus præest, vestes adhibet quæ in Cæremoniali Episcoporum indicantur.

36. Presbyter et diaconus, cum benedictionibus forma communitaria, præsertim in aula ecclesiæ vel cum aliqua externa sollemnitate præsunt, induant albam cum stola. Alba cum superpelliceo commutari potest, quando habitus talaris adhibetur. In sollemnioribus celebrationibus pluviale adhiberi poterit.

37. Color paramentorum vel albus sit, vel congruat tempori aut festo liturgico.

38. Ministri rite instituti, cum celebrationibus communitatis præsunt, vestes induant quæ a Conferentia Episcoporum vel ab Ordinario loci pro celebrationibus liturgicis sunt præscriptæ.

V. De aptationibus quæ Conferentiis Episcoporum competunt

39. Conferentiis Episcoporum competit, vi Constitutionis de Sacra Liturgia,[34] Rituale particulare exarare quod huic titulo Ritualis Romani respondeat, singularum tamen regionum necessitatibus accommodatum ut, actis ab Apostolica Sede recognitis,[35] in regionibus ad quas pertinet adhibeatur.

Qua in re, Conferentiarum Episcoporum erit:

a) Aptationes definire, iuxta principia in hoc libro statuta rituum tamen structura propria servata.

b) Sedulo ac prudenter considerare quid ex traditionibus ingenioque singulorum populorum opportune admitti possit, ideoque alias aptationes, quæ utiles vel necessariæ existimentur, proponere.[36]

c) Proprias autem Ritualium particularium iam exstantium benedictiones si quæ habentur, vel antiqui Ritualis Romani et quæ adhuc in usu sint, retinere, dummodo cum mente Constitutionis de Sacra Liturgia, et principiis in hoc titulo expositis ac necessitatibus hodiernis componi queant; vel ea aptare.

d) In variis benedictionum Ordinibus, præsertim quando plures formulæ ad libitum eligendæ exhibentur, alias etiam formulas eiusdem generis præter eas quæ in Rituali Romano inveniuntur, adicere.

e) Prænotanda, sive generalia sive particularia uniuscuiusque Ordinis, quæ in hoc libro habentur, non solum integre vertere, sed, si casus ferat, complere, ita ut ministri significationem rituum plenius intellegant ac fidelium participatio conscia et actuosa reddatur.

f) Illas partes complere quæ in libro desiderantur, ut v. gr. alias lectiones præbere, quæ utiles esse possunt; cantus aptiores indicare.

g) Versiones textuum parare, ita ut indoli variorum sermonum atque ingenio diversarum culturarum accommodentur.

h) In editionibus libri materiam ordinare modo qui ad usum pastoralem aptior videatur, partes libri separatim edere, præcipuis prænotandis semper præmissis.

[34] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 63, b).
[35] Cf. C.I.C., can. 838 §§ 2 et 3; cf. C.I.C., can. 1167 § 1.
[36] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 37-40; 65.

PARS PRIMA

DE BENEDICTIONIBUS QUÆ DIRECTE PERSONAS SPECTANT

CAPUT I

ORDINES BENEDICTIONIS FAMILIARUM EARUMQUE MEMBRORUM

PRÆNOTANDA

40. Communitatem vitæ et amoris coniugalis, a Creatore conditam et a Christo Domino ad exemplar suæ cum Ecclesia arcanæ et fecundæ unionis constitutam tamquam Novi Fœderis sacramentum ac vitæ statum et ordinem, semper Ecclesia in sua actione pastorali magni habuit. Etenim ex huiusmodi communitate procedit familia, in qua coniuges donum proprium in populo Dei retinent propriamque vocationem, ut sibi invicem, filiis suis ceterisque familiaribus, gratiæ cooperatores necnon fidei et amoris Christi testes sint. Ideoque christiana familia, velut Ecclesia domestica, missionem divinitus acceptam adimplens et suum exercens apostolatum tum virtutes Regni Dei in mundo tum spem vitæ beatæ elata voce coram hominibus proclamare tenetur.[1]

41. Quo vero coniuges et cetera familiæ membra aptiora in dies redderentur ad proprium munus plenius assumendum et protenus persequendum, Ecclesia quædam sacramentalia subsidia instituit quibus vita familiaris, certis in adiunctis, Dei verbi proclamatione et peculiari benedictione ditaretur. Huc accedunt præsertim Ordines benedictionis qui hoc in capite describuntur.

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen Gentium*, nn. 11 et 35; Decretum de apostolatu laicorum, *Apostolicam actuositatem*, nn. 7 et 11; Const. pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis, *Gaudium et spes*, nn. 47-52.

I. ORDO BENEDICTIONIS FAMILIÆ

PRÆNOTANDA

42. Quoties benedictionem vel christiana familia postulat, vel pastoralis cura suadet, hæc benedictio opportune videtur impertienda, ut vita christiana in familiæ membris foveatur. Quo autem melius id obtineri possit, celebratio rerum adiunctis erit accommodanda.

43. Benedictio familiæ peragi potest etiam in Missæ celebratione, iuxta Ordinem infra nn. 62-67 descriptum.

A. ORDO BENEDICTIONIS

44. Ordo, qui hic præbetur, adhiberi potest tum a sacerdote tum a diacono et etiam a laico, ritibus tamen et formulis pro laico prævisis.

45. Ex hoc Ordine, semper potioribus elementis servatis, quædam sumi possunt ut celebratio adiunctis loci et membrorum familiæ accommodetur.

RITUS INITIALES

46. Familia congregata, minister dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

47. Deinde minister, si est presbyter vel diaconus, adstantes salutat, dicens:

Grátia vobis et pax a Deo Patre
et a Dómino nostro Iesu Christo.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel:

Benedíctus Deus in sǽcula.

vel alio apto modo.

---

48. Si vero minister est laicus, adstantes salutat, dicens:

Grátia Dómini nostri Iesu Christi
sit cum ómnibus nobis.

Omnes respondent:

Amen.

---

49. Minister adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Caríssimi, família, quæ per Matrimónii sacraméntum Christi grátiam et vitæ novitátem accépit, singuláre moméntum habet tam pro Ecclésia quam pro civíli societáte, quarum est céllula prima et vitális.
Hac celebratióne invocámus illam Dómini benedictiónem, qua membra famíliæ constánter inter se grátiæ cooperatóres fiant necnon fídei præcónes in váriis vitæ adiúnctis.
Dei auxílio suffúlti, missiónem vestram adimplébitis, totam vitam vestram ad Evangélium conformántes, ut Christi testes vos ipsos exhibeátis in mundo.

LECTIO VERBI DEI

50. Deinde unus ex adstantibus vel ipse minister legit textum Sacrarum Scripturarum ex iis qui infra proponuntur selectum.

1 Cor 12, 12-14 « *Unum corpus sumus* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Coríntios.

Sicut corpus unum est et membra habet multa, ómnia autem membra córporis, cum sint multa, unum corpus sunt, ita et Christus; étenim in uno Spíritu omnes nos in unum corpus baptizáti sumus, sive Iudǽi sive Græci sive servi sive líberi, et omnes unum Spíritum potáti sumus. Nam et corpus non est unum membrum sed multa.

51. Vel:

Eph 4, 1-6 « *Supportantes invicem in caritate* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Ephésios.

Obsecro vos ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne, qua vocáti estis, cum omni humilitáte et mansuetúdine, cum longanimitáte, supportántes ínvicem in caritáte, sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis; unum corpus et unus Spíritus, sicut et vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ; unus Dóminus, una fides, unum baptísma; unus Deus et Pater ómnium, qui super omnes et per ómnia et in ómnibus.

52. Vel:

Rom 12, 4-16 « *Caritate fraternitatis invicem diligentes* ».
Sicut in uno córpore multa membra habémus ...

1 Cor 12, 31b—13, 7 « *Caritas omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* ».
Adhuc excellentiórem viam ...

53. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 127 (128), 1-2. 4-6a
℟. (cf. 1) *Beáti omnes qui timent Dóminum.*

54. Minister, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

55. Sequitur prex communis. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, minister seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum vel familiarum adiuncta respiciant.

Christum Dóminum, coætérnum Patris Verbum, qui cum homínibus conversátus, in família vívere dignátus est, eámque benedictiónibus cæléstibus implére, humíliter deprecémur, ut famíliam hanc propítius prótegat, eíque dicámus:

℟. *Famíliam nostram in tua pace, Dómine, tuére.*

Qui Maríæ et Ioseph súbditus,
domésticam vitam consecrásti,
— famíliam hanc tua præséntia sanctífica. ℟.

Qui studiósus fuisti eórum quæ Patris tui sunt,
— præsta ut in omni família Deus colátur et honorétur. ℟.

Qui sanctam famíliam tuam
oratiónis, amóris et voluntátis Patris faciéndæ
exémplar mirábile demonstrásti,
— famíliam hanc tua grátia sanctífica
tuísque donis cumuláre dignéris. ℟.

Qui propínquos amásti et ab ipsis amátus es,
— omnes famílias in pace et mútua caritáte constítue. ℟.

Qui in Cana Galilǽæ famíliæ primórdia
primo tuo signo lætificásti,
aquam in vinum convértens,
— huius famíliæ dolóres et anxietátes
benígne lénias et in gáudium suáviter convértas. ℟.

Qui famíliæ unitáti prospíciens, dixísti:
« quod Deus coniúnxit, homo non séparet »,
— cóniuges istos arctíssimo tuæ dilectiónis vínculo
in dies serva coniúnctos. ℟.

56. Precibus absolutis, minister opportune invitat omnes præsentes ad orationem dominicam canendam vel dicendam his vel similibus verbis:

Præcéptis salutáribus móniti,
et divína institutióne formáti,
audémus dícere:

Omnes:

Pater noster, qui es in cælis ...

Oratio benedictionis

57. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, manibus super membra familiæ extensis, secus manibus iunctis, benedictionis orationem profert:

Creátor pópuli tui, Deus, et misericors reparátor,
qui famíliam in nuptiáli fœ́dere constitútam
Christi et Ecclésiæ sacraméntum fíeri voluísti,
copiósam, quǽsumus, benedictiónem infúnde
super hanc famíliam tuo nómine congregátam,
ut qui in ea uno amóre coniungúntur,
spíritu fervéntes et oratióni instántes,
sollicitúdinem mútuam sibi præstent,
necessitátibus ómnium commúnicent,
atque verbo et exémplo fídei præcónes exsístant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

58. Vel:

Te, Dómine, benedícimus,
qui Fílium tuum, hóminem factum,
in humána família partem habére voluísti,
ut in cuius íntima societáte adolésceret,
curas étiam nosset et gáudia prægustáret.
Te ergo, Dómine, pro hac família humíliter implorámus:
illam prótege atque custódi,
ut, grátiæ tuæ múnere roboráta,
prosperitáte fruátur, concórdia ditétur,
et velut Ecclésia doméstica,
glóriam tuam testificétur in mundo.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

59. Pro opportunitate, minister familiam congregatam aqua benedicta aspergit, nihil dicens.

CONCLUSIO RITUS

60. Tum minister ritum concludit dicens:

Dóminus Iesus,
qui Názareth cum sua família commorátus est,
semper in vestra família máneat,
eam ab omni malo deféndat,
vobísque concédat
ut sitis cor unum et ánima una.

Omnes respondent:

Amen.

61. Celebratio apto cantu laudabiliter perficitur.

B. ORDO BENEDICTIONIS CELEBRATIONI MISSÆ CONIUNCTÆ

62. Sacerdos, in ordinanda Missa, servatis de iure servandis, libenter facultate seligendi diversas Missæ partes utatur, ad membrorum familiæ bonum spiritale præsertim attendens.

Quando benedictio familiæ peragitur intra Missæ celebrationem in domo ipsius familiæ, ritus instrui debet secundum principia et normas Instructionis « Actio pastoralis » pro cœtibus particularibus [2] vel etiam, data occasione, « Directorii de Missis cum pueris » [3] opportunis utique monitionibus adhibitis.

63. Post lectionem Evangelii, celebrans in homilia ex textu sacro exponat gratiam et munera vitæ familiaris in Ecclesia.

64. Sequitur oratio fidelium, modo in Missæ celebratione consueto vel modo qui hic proponitur; quam orationem celebrans concludit formula benedictionis, nisi opportunius videatur hanc formulam in fine celebrationis Missæ adhibere, tamquam orationem super populum. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum vel familiarum adiuncta respiciant:

Christum Dóminum, coætérnum Patris Verbum, qui cum homínibus conversátus, in família vívere dignátus est, eámque benedictiónibus cæléstibus implére, humíliter deprecémur, ut famíliam hanc propítius prótegat, eíque dicámus:

℟. *Famíliam nostram in tua pace, Dómine, tuére.*

Qui Maríæ et Ioseph súbditus,
domésticam vitam consecrásti,
— famíliam hanc tua præséntia sanctífica. ℟.

Qui studiósus fuísti eórum quæ Patris tui sunt,
— præsta ut in omni família Deus colátur et honorétur. ℟.

Qui sanctam famíliam tuam
oratiónis, amóris et voluntátis Patris faciéndæ

[2] S. Congr. pro Cultu Divino, 15 maii 1969, A.A.S. 61 (1969) pp. 806-811.
[3] S. Congr. pro Cultu Divino, 1 novembris 1973, A.A.S. 66 (1974) pp. 30-46.

exémplar mirábile demonstrásti,
— famíliam hanc tua grátia sanctífica
tuísque donis cumuláre dignéris. ℟.

Qui propínquos amásti et ab ipsis amátus es,
— omnes famílias in pace et mútua caritáte constítue. ℟.

Qui in Cana Galilǽæ famíliæ primórdia
primo tuo signo lætificásti,
aquam in vinum convértens,
— huius famíliæ dolóres et anxietátes
benígne lénias et in gáudium suáviter convértas. ℟.

Qui famíliæ unitáti prospíciens, dixísti:
« quod Deus coniúnxit, homo non séparet »,
— cóniuges istos arctíssimo tuæ dilectiónis vínculo
in dies serva coniúnctos. ℟.

65. Celebrans, manibus super membra familiæ extensis, immediate prosequitur:

Creátor pópuli tui, Deus, et miséricors reparátor,
qui famíliam in nuptiáli fœ́dere constitútam
Christi et Ecclésiæ sacraméntum fíeri voluísti,
copiósam, quǽsumus, benedictiónem infúnde
super hanc famíliam tuo nómine congregátam,
ut qui in ea uno amóre coniungúntur,
spíritu fervéntes et oratióni instántes,
sollicitúdinem mútuam sibi præstent,
necessitátibus ómnium commúnicent,
atque verbo et exemplo fídei præcónes exsístant.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes respondent:

Amen.

66. Vel:

Te, Dómine, benedícimus,
qui Fílium tuum, hóminem factum,
in humána família partem habére voluísti,
ut in cuius íntima societáte adolésceret,
curas étiam nosset et gáudia prægustáret.
Te ergo, Dómine, pro hac família humíliter implorámus:
illam prótege atque custódi,
ut, grátiæ tuæ múnere roboráta,
prosperitáte fruátur, concórdia ditétur,
et velut Ecclésia doméstica,
glóriam tuam testificétur in mundo.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes respondent:

Amen.

67. Si vero opportunius videtur, oratio benedictionis adhiberi potest in fine celebrationis Missæ, post invitatorium:

Inclináte vos ad benedictiónem.

vel aliud.

Post orationem benedictionis, celebrans semper subdat:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnibus respondentibus:

Amen.

II. ORDO BENEDICTIONIS ANNUÆ FAMILIARUM IN PROPRIIS DOMIBUS

PRÆNOTANDA

68. Mandato Christi obœdientes, pastores inter potissima actionis pastoralis munera, sollicitudinem habere debent christianas familias invisendi eisque Christi pacem nuntiandi, qui discipulis suis commendavit: « In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui » (Lc 10, 5).

69. Parochi igitur eorumque adiutores commendatam sibi habeant consuetudinem familias in propria dicione commorantes, quotannis, præsertim tempore paschali, invisendi. Est enim occasio pretiosa muneris pastoralis exercendi et eo quidem magis efficax, quo singulæ familiæ dignosci possunt.

70. Cum Ordo benedictionis annuæ familiarum in propriis domibus familiam ipsam directe respiciat, eius membrorum præsentiam requirit.

71. Benedictio domorum sine commorantium præsentia peragenda non est.

72. Ordo, qui hic præbetur, adhiberi potest a sacerdote vel a diacono.

73. De more hæc benedictio in unaquaque domo celebratur, attamen, propter rationes pastorales et ad unitatem firmandam familiarum, quæ in eodem ædificio vel loco vivunt, opportune pro pluribus familiis, loco apto adunatis, celebrari potest. Hoc in casu plurali numero oratio proferatur.

74. Celebrans, servatis semper partibus præcipuis, lectione nempe Dei verbi et oratione benedictionis, singulas partes singulis familiarum et locorum adiunctis aptabit. Insuper in celebratione peragenda ad omnes præsentes, præsertim ad pueros, ad senes, ad infirmos sedula caritate attendat.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

75. Familia congregata, celebrans adstantes salutat dicens:

Pax huic dómui et ómnibus habitántibus in ea.

vel:

Grátia vobis et pax a Deo Patre
et a Dómino nostro Iesu Christo.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

76. Tum parochus, vel qui eum coadiuvat in ministerio, adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Pastóris visitátio id potíssimum inténdit, ut in eius persóna Christus ipse domum vestram ingrediátur, pacem vobis áfferens et gáudium. Quod præsértim fiet lectióne Dei verbi et Ecclésiæ oratióne.
Animos nostros ígitur præparémus ut hac celebratióne Christus Dóminus, per Spíritum Sanctum suum, nos álloqui ac confovére dignétur.

Aliis in circumstantiis opportune monitio erit aptanda.

LECTIO VERBI DEI

77. Deinde unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit textum Sacrarum Scripturarum, ex iis potissimum selectum qui infra indicantur.

Mt 7, 24-28 « *Domus supra petram ædificata* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

In illo témpore dicébat Iesus: « Omnis qui audit verba mea hæc et facit ea, assimilábitur viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram. Et descéndit plúvia, et venérunt flúmina, et flavérunt venti et irruérunt in domum illam, et non cécidit; fundáta enim erat supra petram.
Et omnis qui audit verba mea hæc et non facit ea, símilis erit viro stulto, qui ædificávit domum suam supra arénam. Et descéndit plúvia, et venérunt flúmina, et flavérunt venti et irruérunt in domum illam, et cécidit, et fuit ruína eius magna ».
Et factum est cum consummásset Iesus verba hæc, admirabántur turbæ super doctrínam eius.

78. Vel:

Eph 4, 1-6 « *Supportantes invicem in caritate* ».
Obsecro vos ego Paulus vinctus ...

Col 3, 12-25 « *Super omnia autem hæc caritatem* ».
Indúite vos sicut elécti ...

Act 2, 44-47 « *Frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exsultatione et simplicitate cordis* ».
Omnes qui credíderant ...

Lc 19, 1-10 « *Hodie salus domui huic facta est* ».
Ingréssus Iesus perambulábat Iéricho ...

Io 1, 35-39 « *Apud eum manserunt* ».
Stabant Ioánnes Baptísta et ex discípulis eius ...

79. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 99 (100), 2. 3. 4. 5
℟. (3c) *Nos pópulus eius et oves páscuæ eius.*

Ps 127 (128), 1-2. 3. 4-6a
℟. (4) *Ecce sic benedicétur qui timet Dóminum.*

Ps 148, 1-2. 3-4. 12-13
℟. (13a) *Laudent nomen Dómini.*

80. Celebrans pro opportunitate adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

81. Sequitur prex communis. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum vel familiæ adiuncta respiciant.

Tempore paschali

Fratres caríssimi, paschâli lætítia exsultántes, Christum a mórtuis suscitátum, quem Pater constítuit nostræ communiónis princípium et fundaméntum, a Spíritu Sancto moti, súpplices invocémus dicéntes:

℟. *Mane nobíscum, Dómine.*

Dómine Iesu Christe,
qui post resurrectiónem tuam, discípulis appárens,
eósdem pacis tuæ dono lætificásti,
— fac ut hæc família te præséntem advértat
tibíque in suavitáte pacis tuæ semper adhærére conténdat. ℟.

Qui ad glóriam resurrectiónis
per crucis humiliatiónem pervenísti,
— ómnia huius famíliæ membra
doce e cotidiánis étiam angústiis
caritátis ædificáre consórtium. ℟.

Qui cum discípulis ad mensam accúmbens,
eis in fractióne panis teípsum agnoscéndum præbuísti,

— fac ut hæc família
Eucharístiæ celebratiónem in communitáte partícipans,
suam róboret fidem
suǽque exhíbeat pietátis testimónium. ℟.

Qui domum, in qua coadunáti erant discípuli,
Spíritus Sancti replevísti virtúte,
— eúndem Spíritum in hanc famíliam immítte,
ut ipsíus pace perfruátur et gáudio. ℟.

82. Vel:

Extra tempus paschale

Fratres caríssimi, benedictiónem Dómini super vestram famíliam implorántes, præ óculis habeámus communiónis consuetúdinem tum solum servári posse et augéri, cum ipsum Dóminum habúerit auctórem. Eum ígitur invocémus dicéntes:

℟. *Sanctífica nos, Dómine.*

Dómine Iesu Christe,
per quem omnis ædificátio
Spíritus virtúte in templum sanctum crescit,
— fac ut hi fámuli tui in nómine coadunéntur
earúmque vita te firmíssimo fundaménto nitátur. ℟.

Qui doméstícam vitam cum María et Ioseph sanctificásti,
— doce omnes in hac domo habitántes
ínvicem sui ipsíus donatiónem conférre,
qua vita familiáris régitur atque firmátur. ℟.

Qui membra famíliæ naturális
per christiánam initiatiónem
spiritális fecísti famíliæ consórtes,
— fac ut hi fámuli tui
munus suum in Ecclésia fidéliter exsequántur. ℟.

Qui nascéntem Ecclésiam
cum María, Matre tua,
in cenáculo voluísti congregátam,
— da ut Ecclésia hæc doméstica
a beáta Vírgine discat verba tua in corde serváre,
in oratióne perseveráre
aliísque se suáque aperíre. ℟.

83. Precibus absolutis, celebrans opportune invitat omnes præsentes ad orationem dominicam canendam vel dicendam his vel similibus verbis:

Præcéptis salutáribus móniti,
et divína institutióne formáti,
audémus dícere:

Omnes:

Pater noster, qui es in cælis ...

ORATIO BENEDICTIONIS

84. Tum celebrans, manibus super membra familiæ extensis, immediate subiungit:

Tempore paschali

Benedíctus es, Dómine,
qui in véteris páschate testaménti
pópuli tui domos
agni sánguine linítas,
incólumes serváre voluísti,
quique in tuórum consummatióne signórum
Iesum, Fílium tuum,
pro nobis crucifíxum
atque a mórtuis suscitátum,
Agnum verum paschálem dedísti,

ut fidéles tuos ab inimíci fraude protéctos,
Sancti Spíritus grátia cumuláres,
super hanc famíliam et domum
benedictiónem tuam ✠ effúnde,
ut caritátis gáudium inhabitántium corda refóveat.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

85. Vel:

Extra tempus paschale

Deus ætérne,
qui necessitátibus hóminum
patérna pietáte consúlere non désinis:
super hanc famíliam et domum, quǽsumus,
cópiam tuæ benedictiónis ✠ effúnde,
et habitántes in ea grátiæ tuæ dono sanctífica,
ut, in tuis præcéptis perseverántes,
et præsens tempus rediméntes,
ad mansiónem in cælis sibi parátam aliquándo pervéniant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

86. Vel:

Benedíctus Deus, Pater noster,
pro hac domo quam huic famíliæ præstas habitándam.
Spíritus tui dona in ea commorántes obtíneant
et grátiam tuæ ✠ benedictiónis
in operósa caritáte maniféstent,
ut quotquot hanc domum frequentáverint
illum semper invéniant amóris et pacis afféctum,
cuius te solum prædicámus auctórem.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

87. Post orationem benedictionis celebrans adstantes et domum aqua benedicta aspergit, dicens, pro opportunitate:

Sit hæc aqua suscépti Baptísmatis memória
et Christum récolat,
qui Passióne et Resurrectióne sua nos redémit.

℟. Amen.

Conclusio ritus

88. Tum celebrans ritum concludit dicens:

Deus rópleat vos omni gáudio et spe in credéndo.
Pax Christi exsúltet in córdibus vestris.
Spíritus Sanctus in vos sua dona profúndat.

Omnes respondent:

Amen.

89. Celebratio cantu apto laudabiliter perficitur.

III. ORDINES BENEDICTIONIS CONIUGUM

Prænotanda

90. In præcipuis anniversariis Matrimonii, uti v. gr. in XXV, L, LX, opportune peculiaris memoria sacramenti habetur celebratione Missæ propriæ cum orationibus in Missali Romano indicatis.[4]

91. Benedictio coniugum peragi potest intra Missam, Ordinibus infra descriptis, nn. 94-106; 107-114 vel extra Missam, iuxta Ordines qui infra nn. 115-131; 132-134 exhibentur.

92. Extra anniversaria, etiam in peculiaribus vitæ necessitatibus vel adiunctis, uti esse possunt conventus spiritalis vel communis pere-

[4] Cf. *Missale Romanum*, Missæ Rituales, Pro Sponsis, 2. In Anniversariis Matrimonii.

grinatio, coniuges benedictionem expetere possunt. Si plures coniuges simul sunt benedicendi, oratio benedictionis et benedictio finalis plurali numero proferantur.

93. Ex his Ordinibus, elementis potioribus semper servatis, quædam sumi possunt ut celebratio adiunctis loci, coniugum et familiarum accommodetur.

A.

ORDO BENEDICTIONIS INTRA MISSAM OCCASIONE DATA ANNIVERSARII MATRIMONII ADHIBENDUS

94. In liturgia verbi, ad normam rubricarum, sumi possunt lectiones vel ex Lectionario in celebratione Matrimonii,[5] vel e Missa pro gratiis Deo agendis ex Lectionario Missarum pro variis necessitatibus.[6]

95. Post lectionem Evangelii, celebrans in homilia, e textu sacro facienda, exponat mysterium et gratiam matrimonialis vitæ christianæ, attentis tamen diversis personarum adiunctis.

96. Deinde celebrans coniuges invitat ut orationem in silentio peragant et propositum coram Deo renovent sancte vivendi in Matrimonio.

97. Tunc celebrans, pro opportunitate, hanc orationem profert:

Famulórum tuórum, Dómine,
amórem auge atque sanctífica;
ut qui hos ánulos
in fídei signum sibi mútuo tradidérunt,
in grátiam sacraménti semper profíciant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Et anuli incensatione honorari possunt.

[5] Cf. *Rituale Romanum*, Ordo celebrandi Matrimonium, nn. 67-105; *Missale Romanum*, Ordo Lectionum Missæ, nn. 801-805.
[6] Cf. *ibid.*, nn. 943-947.

98. Si vero anuli renovantur, celebrans hanc orationem benedictionis profert:

Famulórum tuórum, Dómine,
bénedic amórem et sanctífica;
et quibus hi ánuli sunt fídei signum,
mútuæ mémorent dilectiónis affectum
gratiámque sacraménti.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

99. Adhiberi possunt etiam sequentes formulæ:[7]

Bénedic, Dómine, hos ánulos,
quos in tuo nómine ✠ benedícimus;
ut qui eos gestáverint,
fidelitátem íntegram ínvicem tenéntes,
in pace et voluntáte tua permáneant
atque in mútua caritáte semper vivant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Vel:

Fámulos tuos, Dómine,
in suo amóre bénedic ✠ atque sanctífica;
et quibus hi ánuli sunt fídei signum,
mútuæ mémorent dilectiónis affectum.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

100. Sequitur oratio fidelium modo in Missæ celebratione consueto, vel prex communis modo qui hic proponitur:

Dei Patris omnipoténtis, qui providentíssimo suo consílio históriam salútis in amóre, fidelitáte (et fecunditáte) coniu-

[7] Cf. *Rituale Romanum,* Ordo celebrandi Matrimonium, nn. 110-111.

gáli significátam vóluit, misericórdiam invocémus dicentés:

℟. *Tuórum, Dómine, rénova fidelitátem servórum.*

Pater sancte, qui fidélis vocáris
et observántiam tui fœderis póstulas atque repéndis,
— hos fámulos tuos,
qui (vigesimumquíntum, quinquagésimum, sexagésimum)
sui Matrimónii anniversárium récolunt,
benedictiónibus tuis replére dignéris. ℟.

Qui una cum Fílio et Spíritu Sancto,
plena vitæ unitáte
et amóris communióne ab ætérno frúeris,
— concéde ut quod fœdus amóris
hi fámuli tui sacraménto pepigérunt,
et iúgiter mémorent et fidéliter servent. ℟.

Qui omnes humánæ vitæ experiéntias
ita in tua providéntia dispónis
ut fidéles ad Christi mystérium participándum addúcas,
— da ut hi fámuli tui
próspera et advérsa plácide suscipiéntes,
Christo adhærére eíque soli vívere conéntur. ℟.

Qui coniugále consórtium
vitæ christiánæ documéntum esse voluísti,
— præsta ut omnes cóniuges
testes fiant in mundo mystérii dilectiónis Fílii tui. ℟.

101. Celebrans immediate dicit, manibus extensis, hanc vel aliam aptam precem:

Deus, in cuius dispositióne
socíetas familiáris firmum suum habet fundaméntum,
famulórum tuórum preces miserátus exáudi,
et præsta ut, exémpla sanctæ Famíliæ sectántes,

in lætítia domus tuæ te sine fine colláudent.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

102. In liturgia eucharistica omnia fiunt secundum Ordinem Missæ præter ea quæ sequuntur.

In præsentatione donorum coniuges panem, ac vinum et aquam ad altare, pro opportunitate, deferre possunt.

103. Dicto *Pater* et omisso *Líbera nos,* celebrans ad coniuges conversus, manibus extensis, dicit:

Te Deum, ómnium laudámus et benedícimus creatórem,
qui virum et mulíerem in princípio fecísti,
ut vitæ et amóris societátem constitúerent;
tibi étiam grátias ágimus
quia famulórum tuórum N. et N.
familiáre consórtium benedícere dignátus es,
ut uniónis Christi cum Ecclésia imáginem exhibéret:
eos ergo hódie cleménter réspice,
et quorum communiónem inter gáudia servásti atque labóres,
nuptiále fœdus indesinénter répara,
auge caritátem, vínculum pacis confírma,
ut (cum hac qua circumdántur filiórum coróna)
tua semper benedictióne fruántur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes respondent:

Amen.

104. Dicto *Pax Dómini,* pro opportunitate et iuxta locorum consuetudines, coniuges et ceteri omnes, modo convenienti, pacem et caritatem sibi invicem significant.

105. Coniuges communicare possunt sub utraque specie.

106. In fine Missæ celebrans benedicit coniuges vel modo consueto, vel formula sollemniore, v. gr. modo sequenti:

Diaconus adstantes ad benedictionem accipiendam invitat his vel similibus verbis:

Inclináte vos ad benedictiónem.

Tum celebrans, manibus super coniuges extensis, dicit:

Deus Pater omnípotens gáudium suum vobis concédat.
℟. Amen.

Unigénitus Dei Fílius in prósperis et advérsis
vobis miserátus assístat.
℟. Amen.

Spíritus Sanctus caritátem in corda vestra
semper effúndat.
℟. Amen.

Denique omnes adstantes benedicit, addens:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

B.

ORDO BENEDICTIONIS INTRA MISSAM ALIIS IN CIRCUMSTANTIIS

107. In liturgia verbi, ad normam rubricarum, sumi possunt lectiones ex Lectionario pro sponsis vel pro gratiis Deo reddendis.[8]

108. Post lectionem Evangelii, celebrans in homilia, e textu sacro facienda, exponat gratiam mysteriumque matrimonialis vitæ christanæ, attentis tamen diversis personarum adiunctis.

[8] Cf. *Missale Romanum*, Ordo Lectionum Missæ, nn. 801-805 vel nn. 943-947.

109. Deinde opportune celebrans coniuges invitat ut orationem in silentio peragant et propositum coram Deo renovent sancte vivendi in Matrimonio.

110. Sequitur oratio fidelium modo in Missæ celebratione consueto, vel prex communis modo qui hic proponitur:

Dei Patris omnipoténtis, qui providentíssimo suo consílio históriam salútis in amóre, fidelitáte (et fecunditáte) coniugáli significátam vóluit, misericórdiam invocémus, dicéntes:

℟. *Tuórum, Dómine, rénova fidelitátem servórum.*

Pater sancte, qui coniúgium
in Christo et in Ecclésia
mystérium magnum effecísti,
— amóris tui plenitúdinem
in hos fámulos tuos muníficus infúnde. ℟.

Qui una cum Fílio et Spíritu Sancto,
plena vitæ unitáte
et amóris communióne ab ætérno frúeris,
— concéde ut hi fámuli tui,
fœderis amóris mémores quod sacraménto pepigérunt,
totíus vitæ decúrsu se ínvicem confírment. ℟.

Qui omnes humánæ vitæ experiéntias
ita in tua providéntia dispónis
ut fidéles ad Christi mystérium participándum addúcas,
— da ut hi fámuli tui
próspera et advérsa plácide suscipiéntes,
Christo adhærére eíque soli vívere conéntur. ℟.

Qui coniugále consórtium
vitæ christiánæ documéntum esse voluísti,
— præsta ut omnes cóniuges,
testes fiant in mundo mystérii dilectiónis Fílii tui. ℟.

111. Celebrans orationem concludit, manibus extensis, dicens:

Deus, qui indissolúbile coniúgii fœdus
ad tantam evexísti dignitátem,
ut Christi Fílii tui nuptiális cum Ecclésia uniónis
fíeret sacraméntum,
réspice propítius hos fámulos tuos N. et N.,
qui coniugáli iuncti consórtio,
auxílium tuum implórant
et Vírginis Maríæ subsídium deprecántur:
inter próspera et advérsa
mútuam sibi prǽbeant caritátem,
adiutórium ínvicem præstántes,
sollíciti serváre unitátem spíritus
in vínculo pacis;
te, Dómine, in labóribus sibi gáudeant adésse ut fáveas,
te séntiant in necessitátibus adstáre ut lénias,
te fontem lætítiæ semper agnóscant ut ímpleas.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes respondent:

Amen.

112. In liturgia eucharistica omnia fiunt secundum Ordinem Missæ præter ea quæ sequuntur.

In præsentatione donorum, coniuges panem ac vinum et aquam ad altare, pro opportunitate, deferre possunt.

113. Dicto *Pax Dómini*, pro opportunitate et iuxta locorum consuetudines, coniuges et ceteri omnes, modo convenienti, pacem et caritatem sibi invicem significant.

114. In fine Missæ celebrans benedicit coniuges vel modo consueto vel formula sollemniore, v. gr. modo sequenti:

Diaconus adstantes ad benedictionem accipiendam invitat his vel similibus verbis:

Inclináte vos ad benedictiónem.

Tum celebrans, manibus super coniuges extensis, dicit:

Deus Pater omnípotens gáudium suum vobis concédat.
℟. Amen.

Unigénitus Dei Fílius in prósperis et advérsis
vobis miserátus assístat.
℟. Amen.

Spíritus Sanctus caritátem in corda vestra
semper effúndat.
℟. Amen.

Denique omnes adstantes benedicit, addens:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

C.

ORDO BENEDICTIONIS EXTRA MISSAM

115. Ordo, qui hic præbetur, adhiberi potest etiam a diacono et a laico ritibus et precibus pro ipso prævisis.

116. Ex hoc Ordine, semper servatis elementis potioribus, quædam sumi possunt ut celebratio adiunctis loci et coniugum accommodetur.

Quando coniuges benedicendi sunt sine communitate, minister Ritum breviorem adhibere potest, qui in fine huius Ordinis, nn. 132-134, exhibetur.

Ritus initiales

117. Communitate congregata, cani potest Psalmus 33 (34) vel alius cantus aptus. Cantu expleto, minister dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

118. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, adstantes salutat dicens:

Grátia vobis et pax a Deo Patre,
qui fœdus nuptiále
ad sacraméntum Christi et Ecclésiæ provéxit.

vel alia apta verba e Scripturis Sacris præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

---

119. Si vero minister est laicus, adstantes salutat, dicens:

Benedíctus Deus, Pater totíus consolatiónis,
qui fecit nobíscum misericórdiam suam.

Omnes respondent:

Amen.

---

120. Tum minister, in anniversariis Matrimonii, coniuges et adstantes ad benedictionem excipiendam disponit his vel similibus verbis:

Huc convénimus ad recoléndum anniversárium celebratiónis matrimónii horum fratrum nostrórum. Dum gáudium eórum participámus, cum ipsis grátias ágimus. Deus eos constítuit amóris sui signum in mundo, ipsíque annórum decúrsu fidelitátem servavérunt (offícia patris et matris digne persolvé-

runt). Grátias étiam reddámus, fratres caríssimi, pro ómnibus benefíciis quæ in coniugáli vita vestra a Dómino accepístis. Deus vos in mútuo servet amóre, ut in dies cor unum semper sitis et ánima una.

Aliis in circumstantiis opportune monitio erit aptanda.

Lectio verbi Dei

121. Deinde lector vel unus ex adstantibus, legit textum Sacrarum Scripturarum, ex iis potissimum selectum qui in Ordine celebrandi Matrimonium et in Lectionario Missarum pro sponsis et pro gratiis Deo reddendis indicantur.[9] Seligantur autem textus qui coniugum adiuncta melius respicere videantur.

1 Cor 1, 4-9 « *Gratias Deo in gratia Dei quæ data est vobis* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Corínthios.

Grátias ago Deo meo semper pro vobis in grátia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu, quia in ómnibus dívites facti estis in illo, in omni verbo et in omni sciéntia, sicut testimónium Christi confirmátum est in vobis, ita ut nihil vobis desit in ulla donatióne, exspectántibus revelatiónem Dómini nostri Iesu Christi; qui et confirmábit vos usque ad finem sine crímine in die Dómini nostri Iesu Christi. Fidélis Deus, per quem vocáti estis in communiónem Fílii eius Iesu Christi Dómini nostri.

122. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 127 (128), 1-2. 3. 4-5
℟. (cf. 1) *Beáti omnes qui timent Dóminum.*

[9] Cf. *Rituale Romanum*, Ordo celebrandi Matrimonium, nn. 67-105; *Missale Romanum*, Ordo Lectionum Missæ, nn. 801-805 vel 943-947.

123. Post lectionem opportune minister breviter illustrat textum sacrum, gratiamque et mysterium matrimonialis vitæ christianæ exponit, ut adstantes sensus celebrationis fide percipiant.

Deinde minister coniuges invitat ut orationem in silentio peragant et propositum coram Deo renovent sancte vivendi in Matrimonio.

124. Tunc minister, in anniversariis Matrimonii, hanc orationem pro opportunitate profert:

Famulórum tuórum, Dómine,
amórem auge atque sanctífica;
ut qui hos ánulos
in fídei signum sibi mútuo tradidérunt,
in grátiam sacraménti semper profíciant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Et anuli incensatione honorari possunt.

125. Si vero anuli renovantur, minister eos benedicit, dicens:

Famulórum tuórum, Dómine,
amórem bénedic atque sanctífica;
et quibus hi ánuli sunt fídei signum,
mútuæ mémorent dilectiónis afféctum
gratiámque sacraménti.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

126. Adhiberi possunt a sacerdote vel diacono etiam sequentes formulæ:[10]

Bénedic, Dómine, hos ánulos,
quos in tuo nómine ✠ benedícimus;
ut qui eos gestáverint,

[10] Cf. *Rituale Romanum,* Ordo celebrandi Matrimonium, nn. 110-111.

fidelitátem íntegram ínvicem tenéntes,
in pace et voluntáte tua permáneant
atque in mútua caritáte semper vivant.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Vel:

Fámulos tuos, Dómine,
in suo amóre bénedic ✠ atque sanctífica;
et quibus hi ánuli sunt fídei signum,
mútuæ mémorent dilectiónis affectum.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

PRECES

127. Sequitur prex communis. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, minister seligere potest eas, quæ aptiores videantur, vel alias adicere, quæ peculiaria coniugum vel rerum adiuncta respiciant.

Dei Patris omnipoténtis, qui providentíssimo suo consílio históriam salútis in amóre, fidelitáte (et fecunditáte) coniugáli significátam vóluit, misericórdiam invocémus dicéntes:

℟. *Tuórum, Dómine, rénova fidelitátem servórum.*

Pater sancte, qui coniúgium
in Christo et in Ecclésia
mystérium magnum effecísti,
— amóris tui plenitúdinem
in hos fámulos tuos muníficus infúnde. ℟.

In annuali vel in XXV, L, LX matrimonii anniversario die:

Pater sancte, qui fidélis vocáris
et observántiam tui fœderis póstulas et remuneráris,

— hos fámulos tuos,
qui annuále (vel: vigesimumquíntum,
quinquagésimum, sexagésimum)
sui Matrimónii anniversárium récolunt,
benedictiónibus tuis replére dignéris. ℟.

Qui una cum Fílio et Spíritu Sancto,
plena vitæ unitáte
et amóris communióne ab ætérno frúeris,
— concéde ut hi fámuli tui
fœderis amóris mémores quod sacraménto pepigérunt,
totíus vitæ decúrsu se ínvicem confírment. ℟.

Qui omnes humánæ vitæ experiéntias
ita in tua providéntia dispónis
ut fidéles ad Christi mystérium participándum addúcas,
— da ut hi fámuli tui
próspera et advérsa plácide suscipiéntes,
Christo adhærére eíque soli vívere conéntur. ℟.

Qui coniugále consórtium
vitæ christiánæ documéntum esse voluísti,
— præsta ut omnes cóniuges,
testes fiant in mundo mystérii dilectiónis Fílii tui. ℟.

ORATIO BENEDICTIONIS

128. Minister, manibus extensis, si est sacerdos vel diaconus, secus vero manibus iunctis benedictionis orationem profert, formula selecta secundum rerum adiuncta.

a) *In annuali, XXV, L, LX matrimonii anniversario die*

Te Deum, ómnium laudámus et benedícimus creatórem,
qui virum et mulíerem in princípio fecísti,

ut vitæ et amóris societátem constitúerent;
tibi étiam grátias ágimus
quia famulórum tuórum N. et N.
familiáre consórtium benedícere dignátus es,
ut uniónis Christi cum Ecclésia imáginem exhibéret:
eos ergo hódie cleménter réspice,
et quorum communiónem inter gáudia servásti et labóres,
nuptiále fœdus indesinénter répara,
auge caritátem, vínculum pacis confírma,
ut (cum hac qua circumdántur filiórum coróna)
tua semper benedictióne fruántur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

b) *Aliis in circumstantiis*

Deus, qui indissolúbile coniúgii fœdus
ad tantam evexísti dignitátem
ut Christi Fílii tui nuptiális cum Ecclésia uniónis
fíeret sacraméntum,
réspice propítius hos fámulos tuos N. et N.,
qui coniugáli iuncti consórtio,
auxílium tuum implórant
et Vírginis Maríæ subsídium deprecántur:
inter próspera et advérsa
mútuam sibi præbeant caritátem,
adiutórium ínvicem præstántes,
sollíciti serváre unitátem spíritus
in vínculo pacis;
te, Dómine, in labóribus sibi gáudeant adésse ut fáveas,
te séntiant in necessitátibus adstáre ut lénias,
te fontem lætítiæ semper agnóscant ut ímpleas.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

CONCLUSIO RITUS

129. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, ritum concludens primum coniuges benedicit manibus ad eos extensis:

Deus Pater omnípotens gáudium suum vobis concédat.

℟. Amen.

Unigénitus Dei Fílius in prósperis et advérsis
vobis miserátus assístat.

℟. Amen.

Spíritus Sanctus caritátem in corda vestra
semper effúndat.

℟. Amen.

Denique adstantes benedicit, addens:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes respondent:

Amen.

---

130. Si vero minister est laicus, ritum concludit seipsum signans et dicens:

Deus répleat nos omni gáudio et spe in credéndo.
Pax Christi exsúltet in córdibus nostris.
Spíritus Sanctus in nos sua dona profúndat.

Omnes respondent:

Amen.

---

131. Celebratio cantu apto laudabiliter perficitur.

D.

RITUS BREVIOR

132. Minister dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

Omnes respondent:

℟. Qui fecit cælum et terram.

133. Tunc ab uno ex adstantibus vel ab ipso ministro legitur textus Sacræ Scripturæ, v. gr.:

Mc 10, 8-9: Non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniúnxit, homo non séparet.

Io 15, 9. 10. 11: Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur.

134. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, manibus extensis, secus vero manibus iunctis, benedictionis aptam orationem profert, formula selecta secundum rerum adiuncta:

a) *In annuali, XXV, L, LX matrimonii anniversario die*

Te Deum, ómnium laudámus et benedícimus creatórem,
qui virum et mulíerem in princípio fecísti,
ut vitæ et amóris societátem constitúerent;
tibi étiam grátias ágimus
quia famulórum tuorum N. et N.
familiáre consórtium benedícere dignátus es,
ut uniónis Christi cum Ecclésia imáginem exhibéret:
eos ergo hódie cleménter réspice,
et quorum communiónem inter gáudia servásti et labóres,
nuptiále fœdus indesinénter répara,
auge caritátem, vínculum pacis confírma,

ut (cum hac qua circumdántur filiórum coróna)
tua semper benedictióne fruántur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

b) *Aliis in circumstantiis*

Deus, qui indissolúbile coniúgii fœdus
ad tantam evexísti dignitátem
ut Christi Fílii tui nuptiális cum Ecclésia uniónis
fíeret sacraméntum,
réspice propítius hos fámulos tuos N. et N.,
qui coniugáli iuncti consórtio,
auxílium tuum implórant
et Vírginis Maríæ subsídium deprecántur:
inter próspera et advérsa
mútuam sibi prǽbeant caritátem,
adiutórium ínvicem præstántes,
sollíciti serváre unitátem spíritus
in vínculo pacis;
te, Dómine, in labóribus sibi gáudeant adésse ut fáveas,
te séntiant in necessitátibus adstáre ut lénias,
te fontem lætítiæ semper agnóscant ut ímpleas.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

IV. ORDINES BENEDICTIONIS PUERORUM

PRÆNOTANDA

135. Variæ haberi possunt occasiones pastorales in quibus Deus exoratur pro pueris iam baptizatis, v. gr. cum parentes pro eis benedictionem sacerdotis petunt, cum quædam festa pro pueris aguntur,

cum annus scholaris inchoatur et aliæ huiusmodi. Hæc ergo celebratio peculiaribus adiunctis accommodanda est.

136. Ordines, qui hic præbentur, adhiberi possunt a sacerdote, a diacono et etiam a laico, præsertim a catechista et ab illo cui puerorum educatio concredita est, ritibus et precibus pro laicis prævisis.

137. Ex his Ordinibus, elementis potioribus semper servatis, quædam sumi possunt ut celebratio adiunctis familiarum et puerorum accommodetur.

138. Si de uno tantum agitur puero benedicendo, minister orationem benedictionis numero singulari proferat vel, si casus ferat, Ritum breviorem adhibeat, qui in fine Ordinum nn. 170-172 exhibetur.

A.

ORDO BENEDICTIONIS PUERORUM IAM BAPTIZATORUM

Ritus initiales

139. Communitate congregata, cani potest Psalmus 112 (113) vel alius cantus aptus. Cantu expleto, minister dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

140. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, pueros et adstantes salutat, dicens:

Grátia vobis et pax
a Deo Patre nostro,
et a Fílio eius Iesu Christo
qui amórem suum púeris manifestávit.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

---

141. Si vero minister est laicus, pueros et adstantes salutat, dicens:

Fratres, Dóminum laudémus, eíque grátias agámus
qui compléxans párvulos,
benedicébat eos.

Omnes respondent:

Benedíctus Deus in sǽcula.

vel:

Amen.

---

142. Tum minister pueros et adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Fílius Dei, Dóminus noster, in mundum véniens, formam assúmpsit púeri, qui proficiébat sapiéntia, ætáte et grátia apud Deum et hómines. Ipse póstea púeros benígne excépit et benedíxit, eórum dignitátem éxtulit, immo eósdem exémplum propósuit iis qui vere regnum Dei quærunt. Attamen púeri adultórum índigent adiutório ut genuínas dotes atque virtútes tum moráles et intellectuáles, tum étiam phýsicas evolvéntes, ad maturitátem humánam atque christiánam felíciter pervéniant. Super illos ígitur benedictiónem divínam invocémus, ut et nos eórum institutióni alácriter consulámus, et ipsi débitam disciplínam libénter amplectántur.

143. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse minister legit textum e Sacra Scriptura.

Mc 10, 13-16 « *Iesus benedicebat parvulos* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Marcum.

Offerébant Iesu párvulos, ut tángeret illos; discípuli autem comminabántur eis. At videns Iesus, indígne tulit et ait illis: « Sínite párvulos veníre ad me. Ne prohibuéritis eos; tálium est enim regnum Dei. Amen dico vobis: Quisquis non recéperit regnum Dei velut párvulus, non intrábit in illud ». Et compléxans eos benedicébat impónens manus super illos.

144. Vel:

Mt 18, 1-5. 10 « *Qui susceperit unum parvulum, me suscipit* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

In illa hora accessérunt discípuli ad Iesum dicéntes: « Quis putas maior est in regno cælórum? ». Et ádvocans párvulum, státuit eum in médio eórum et dicit: « Amen dico vobis: Nisi convérsi fuéritis et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic est maior in regno cælórum. Et qui suscéperit unum párvulum talem in nómine meo, me súscipit.
Vidéte, ne contemnátis unum ex his pusíllis; dico enim vobis, quia ángeli eórum in cælis semper vident fáciem Patris mei, qui in cælis est ».

145. Vel:

Mt 19, 13-15 « *Sinite parvulos ad me venire* ».
Obláti sunt Iesu párvuli ...

Mt 21, 14-16 « *Ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem* ».
Accessérunt ad Iesum cæci et claudi ...

Lc 2, 46-52 « *Iesus proficiebat sapientia et ætate et gratia* ».
Post tríduum María et Ioseph invenérunt púerum Iesum ...

146. Qui præest, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant. Allocutio vero sit brevis et puerorum captui accommodata, ita tamen ut etiam adulti ex ea fructum capere possint.

147. Post lectionem vel post allocutionem opportune canitur psalmus, hymnus vel alius cantus pueris notus.

Ps 99 (100), 2. 3. 4. 5
℟. (3c) *Nos pópulus eius et oves páscuæ eius.*

Ps 150, 1-2. 3-4. 5
℟. (5c) *Omne quod spirat, laudet Dóminum.*

PRECES

148. Sequitur prex communis. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, minister seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria puerorum vel rerum adiuncta respiciant.

Duo præbentur schemata quorum alterum specimen est precum, quibus pueri respondere possunt et etiam proprias intentiones addere.

A. Dóminum Iesum, qui ómnibus se sequéntibus simplicitátem et docilitátem puerórum tamquam condiciónem propósuit ad ingrediéndum regnum cælórum, súpplices invocémus dicéntes:

℟. *Da nobis, Dómine, ut et in párvulis te suscipiámus.*

Dómine Iesu,
qui natus ex Vírgine,
infántiæ quoque condiciónem sanctificásti,
— concéde ut hi púeri
tuum sequéntes exémplum,
sapiéntia, ætáte et grátia profíciant. ℟.

Qui púeris
per paréntes et per Ecclésiam

amóris tui suavitátem osténdis,
— concéde ut omnes quorum curæ committúntur
in ipsórum ánimis excoléndis
sédulo adlabórent. ℟.

Qui nos omnes in Baptísmo
ad novam infántiam genuísti
nobísque domus Patris tui iánuam aperuísti,
— concéde ut quocúmque nos dúcere velis
te semper húmili sequámur obséquio. ℟.

Qui adhuc infans
persecutiónem et exílium expértus es,
— concéde ut omnes púeri,
quod hóminum temporúmque premit iníquitas,
auxílium invéniant atque tutélam. ℟.

149.

B. Dómine Iesu, qui púeros excepísti ac benedixísti,
audi benígne preces nostras:
Te rogámus, audi nos.

Prótege nos ab ómnibus perículis.
Te rogámus, audi nos.

Dírige vitam et educatiónem nostram.
Te rogámus, audi nos.

Concéde ut et nos sapiéntia, ætáte et grátia apud Patrem
et hómines proficiámus.
Te rogámus, audi nos.

Adiuva omnes púeros nostræ ætátis.
Te rogámus, audi nos.

Fac ut pro tuæ benevoléntiæ donis, grátias tibi referámus.
Te rogámus, audi nos.

Bénedic paréntes, amícos et benefactóres nostros.
Te rogámus, audi nos.

ORATIO BENEDICTIONIS

150. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, pro opportunitate, manus super pueros imponens, benedictionis orationem profert:

Dómine, Deus noster,
qui nóminis tui laudem
ex ore infántium perfecísti,
réspice benígnus hos párvulos (hunc párvulum / hanc párvulam)
quos (quem/quam) fides Ecclésiæ pietáti tuæ comméndat;
et, sicut Fílius tuus, e Vírgine natus,
púeros libénter suscépit,
compléxans benedíxit
et exémplum ómnibus propósuit imitándum,
ita effúnde, Pater, super eos (eum/eam) benedictiónem tuam,
ut cum adoléverint (adoléverit)
per conversatiónem inter hómines bonam,
Spíritus Sancti operánte virtúte,
Christi testes efficiántur (efficiátur) in mundo
fidémque diffúndant (diffúndat)
atque deféndant (deféndat).
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

---

151. Si vero minister est laicus, manibus iunctis, dicit:

Dómine Iesu Christe,
qui tanto párvulos es prosecútus amóre,

ut qui illos suscepíssent te suscípere díxeris:
preces nostras pro his párvulis
(hoc párvulo/hac párvula) exáudi,
et, quos (quem/quam) Baptísmatis grátia cumulásti,
contínua protectióne custódi,
ut, cum adoléverint (adoléverit) líbera te fide
confiteántur (confiteátur)
in caritáte sint férvidi (sit férvidus/sit férvida),
et in regni tui spe fórtiter persevérent (persevéret).
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

---

152. Post orationem benedictionis, minister pueros aqua benedicta aspergere potest, dicens, pro opportunitate:

Sit hæc aqua suscépti Baptísmatis memória
et Christum récolat,
qui Passióne et Resurrectióne sua nos redémit.

℟. Amen.

Conclusio ritus

153. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, ritum concludit dicens:

Dóminus Iesus, qui púeros diléxit,
vos benedícat et in suo amóre custódiat.

Omnes respondent:

Amen.

---

154. Si vero minister est laicus, seipsum signans, ritum concludit dicens:

Dóminus Iesus, qui púeros diléxit,
nos benedícat et in suo amóre custódiat.

Omnes respondent:

Amen.

---

155. Laudabiliter cantu apto celebratio perficitur.

B.

ORDO BENEDICTIONIS PARVULI NONDUM BAPTIZATI

156. Occasione data alicuius cœtus, qui ad præparationem Baptismi proxime celebrandi congregetur, opportunum esse potest super infantem nondum baptizatum peculiarem invocare benedictionem, tamquam super catechumenum. Sic enim in praxi pastorali melius illustrari potest significatio crucis super infantem a ministro et a parentibus descriptæ, qua exprimitur puerum signo salutis muniri, Deo iam dicari et ad Baptismum suscipiendum disponi.

157. Ordo, qui hic præbetur, adhiberi potest etiam a diacono et a laico, præsertim a catechista, ritibus et precibus pro ipso prævisis.

Ritus initiales

158. Familia congregata, minister dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

159. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, parvulum et adstantes salutat, dicens:

Grátia vobis et pax
a Deo Patre nostro,
et a Fílio eius Iesu Christo
qui amórem suum púeris manifestávit.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel:

Benedíctus Deus in sǽcula.

vel alio apto modo.

---

160. Si vero minister est laicus, parvulum et adstantes salutat dicens:

Fratres, Dóminum laudémus, eíque grátias agámus
qui compléxans párvulos
benedicébat eos.

Omnes respondent:

Benedíctus Deus in sǽcula.

vel:

Amen.

---

161. Tum minister adstantes ad celebrationem disponit his vel similibus verbis:

Fílius Dei, Dóminus noster, in mundum véniens, formam assúmpsit púeri, qui proficiébat sapiéntia, ætáte et grátia

apud Deum et hómines. Ipse póstea púeros benígne excépit et benedíxit, eórum dignitátem éxtulit, immo eósdem exémplum propósuit iis qui vere regnum Dei quærunt.
Attamen púeri adultórum índigent adiutório ut genuínas dotes atque virtútes tum moráles tum intellectuáles, tum étiam phýsicas evolvéntes, ad maturitátem humánam atque christiánam felíciter pervéniant.
Super illos ígitur benedictiónem divínam invocémus ut et nos eórum institutióni alácriter consulámus, et ipsi débitam disciplínam libénter amplectántur.

LECTIO VERBI DEI

162. Deinde unus ex adstantibus vel ipse minister legit textum Sacrarum Scripturarum, ex iis potissimum selectum qui in Ordinibus Baptismi parvulorum et Initiationis christianæ adultorum et in Lectionario Missalis Romani indicantur.[11] Seligatur autem lectio, quæ magis apta videatur ut parentes ad filii Baptismum opportune præparentur.

Mc 10, 13-16 « *Iesus benedicebat parvulos* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Marcum.

Offerébant Iesu párvulos, ut tángeret illos; discípuli autem comminabántur eis. At videns Iesus, indígne tulit et ait illis: « Sínite párvulos veníre ad me. Ne prohibuéritis eos; tálium est enim regnum Dei. Amen dico vobis: Quisquis non recéperit regnum Dei velut párvulus, non intrábit in illud ». Et compléxans eos benedicébat impónens manus super illos.

163. Qui præest, pro opportunitate adstantes alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

[11] Cf. *Rituale Romanum*, Ordo Baptismi parvulorum, nn. 186-215, Ordo Initiationis christianæ adultorum, n. 388; *Missale Romanum*, Ordo Lectionum Missæ, nn. 751-763.

164. Post lectionem vel post allocutionem opportune canitur psalmus, hymnus vel alius cantus.

Ps 150, 1-2. 3-4. 5
℟. (5c) *Omne quod spirat, laudet Dóminum.*

PRECES

165. Sequitur communis prex. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, minister seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria parvuli vel rerum adiuncta respiciant.

Dóminum Iesum, qui ómnibus se sequéntibus simplicitátem cordis et docilitátem fidéntem puerórum tamquam condiciónem propósuit pro ingréssu in regnum cælórum, súpplices invocémus dicéntes:

℟. *Da nobis, Dómine, ut et in párvulis te suscipiámus.*

Dómine Iesu,
qui non ex carne neque ex sánguine
sed ex Deo vis
ut novi fílii Ecclésiæ generéntur,
— fac ut dum Baptísmi celebrándi tempus exspectátur,
eiúsdem celebrátio plénius præparétur. ℟.

Qui huic párvulo
per paréntes et per Ecclésiam
amóris tui suavitátem osténdis,
— concéde ut omnes quorum curæ commíttitur,
in ipsíus ánimo excoléndo,
sédulo adlabórent. ℟.

Qui nos omnes in Baptísmo
ad novam infántiam generásti
nobísque domus Patris tui iánuam aperuísti,
— concéde, ut quocúmque nos dúcere velis
te semper húmili sequámur obséquio. ℟.

Qui adhuc infans
persecutiónem et auxílium expértus es,
— concéde ut omnes púeri,
quos hóminum temporúmque premit iníquitas,
auxílium invéniant atque tutélam. ℟.

ORATIO BENEDICTIONIS

166. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, manus super parvulum imponens, secus vero manibus iunctis benedictionis orationem profert:

Deus, Pater omnípotens,
fons benedictiónum et infántium custos,
qui filiórum dono
coniúgium ditas gaudióque perfúndis:
párvulum hunc benígnus réspice,
et ex aqua et Spíritu Sancto regenerándum
in gregem tuum ascríbere dignéris,
ut, Baptísmatis dono suscépto,
regni tui consors efficiátur
et nobíscum, in Ecclésia, te benedícere discat.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

167. Minister et parentes signant signo crucis parvulum in fronte, nihil dicentes.

CONCLUSIO RITUS

168. Tum minister, si sacerdos est vel diaconus, ritum concludit dicens:

Dóminus Iesus, qui púeros diléxit,
vos benedícat et in suo amóre custódiat.

169. Si vero minister est laicus, seipsum signans, ritum concludit dicens:

Dóminus Iesus, qui púeros diléxit,
nos benedícat et in suo amóre custódiat.

Omnes respondent:

Amen.

C.

RITUS BREVIOR

170. Minister dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

Omnes respondent:

℟. Qui fecit cælum et terram.

171. Tunc ab uno ex adstantibus vel ab ipso ministro legitur textus Sacræ Scripturæ, v. gr.:

Mc 10, 14: Sínite párvulos veníre ad me. Ne prohibuéritis eos; tálium est enim regnum Dei.

Mt 18, 3: Amen dico vobis: Nisi convérsi fuéritis et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum.

Mt 18, 5: Qui suscéperit unum párvulum talem in nómine meo, me súscipit.

1 Cor 14, 20: Fratres, nolíte púeri éffici sénsibus, sed malítia párvuli estóte, sénsibus autem perfécti estóte.

172. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, manus super puerum imponens, secus vero manibus iunctis, benedictionis aptam orationem profert:

a) *Pro puero iam baptizato*

Dómine Iesu Christe,
qui tanto párvulos es prosecútus amóre,
ut qui illos suscepíssent te suscípere díxeris:
preces nostras pro hoc párvulo exáudi,
et, quem (quam) Baptísmatis grátia cumulásti,
contínua protectióne custódi,
ut, cum adoléverit líbera te fide confiteátur
in caritáte sit férvidus (sit férvida),
et in regni tui spe fórtiter persevéret.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

b) *Pro puero nondum baptizato*

Deus, Pater omnípotens,
fons benedictiónum et infántium custos,
qui filiórum dono
coniúgium ditas gaudióque perfúndis:
párvulum hunc benígnus réspice,
et ex aqua et Spíritu Sancto regenerándum
in gregem tuum ascríbere dignéris,
ut, Baptísmatis dono suscépto,
regni tui consors efficiátur
et nobíscum, in Ecclésia, te benedícere discat.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

FORMULA BREVIS

173. Pro opportunitate, sacerdos vel diaconus adhibere potest sequentem formulam brevem benedictionis:

Dóminus Iesus
qui púeros diléxit
te N. benedícat ✠
et in suo amore custódiat.

℟. Amen.

V. ORDO BENEDICTIONIS FILIORUM

PRÆNOTANDA

174. Iesu, teste Evangelio, parvuli offerebantur ut eis benediceret et manus imponeret. Id genus autem benedictionis parentes christiani etiam filiis suis impertiri percupiunt. Immo, in traditionibus populorum magno in honore habetur benedictio filiorum quæ ab ipsis parentibus impertiatur. Quod fieri potest peculiaribus in adiunctis vitæ filiorum vel etiam cum familia simul congregatur ad orationem faciendam vel ad meditationem Sacræ Scripturæ suscipiendam.

175. Si forte adsit sacerdos vel diaconus, præsertim occasione data visitationis, qua, definitis certisque temporibus, singulas familias pastores adeunt benedicturi, tunc ad eosdem opportunius pertinet hoc benedicendi ministerium.

176. Ordo igitur, qui hic præbetur, adhiberi potest tum a parentibus, tum a sacerdote, vel a diacono qui, potioribus elementis ac ritus structura servatis, adiunctis singulas partes aptabunt.

177. Si vero filius vel filii benedicendi sunt in alia benedictionis celebratione, adhiberi potest formula brevis quæ in fine huius Ordinis, n. 194, exhibetur.

178. Si filius infirmus est benedicendus, adhiberi potest ritus qui in capite II, nn. 313-316 exhibetur.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

179. Familia congregata, ille qui præest dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

180. Deinde, si ille qui præest est sacerdos vel diaconus, adstantes salutat dicens:

Grátia vobis a Deo Patre,
qui nos suæ adoptiónis fílios effécit.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio modo apto.

---

181. Si vero ille qui præest est laicus, adstantes salutat dicens:

Laudémus, fratres, Deum Patrem,
qui nos suæ adoptiónis fílios effécit.

Omnes respondent:

Ipsi glória in sǽcula.

vel:

Amen.

---

182. Tum ille qui præest filios et adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Iure novéllis olivárum in circúitu mensæ domésticæ fílii famílias comparántur in psalmo: ipsi enim non solum signum sunt et auspícium divínæ benedictiónis, sed Dei ipsíus efficácem testántur præséntiam, qui dum donat in fíliis fecunditátem, exsultatiónem in família multíplicat et magníficat lætítiam. Non solum ergo máxima debétur fíliis reveréntia sed ad Dei amórem ac timórem ipsi tempestíve instituántur opórtet, ut, officiórum suórum cónscii, sapiéntia profíciant et grátia, et quæcúmque sunt vera et iusta et sancta cogitántes iam et agéntes, Christi fiant testes in mundo eiúsque Evangélii præcónes.

Lectio verbi Dei

183. Deinde unus ex adstantibus vel ipse qui præest legit textum Sacrarum Scripturarum:

Mt 19, 13-15 « *Sinite parvulos ad me venire!* ».

Audíte, fratres, verba Evangélii secundum Matthǽum.

In illo témpore, obláti sunt Iesu párvuli, ut manus eis impóneret et oráret; discípuli autem increpábant eis. Iesus vero ait: « Sínite párvulos et nolíte eos prohibére ad me veníre; tálium est enim regnum cælórum ». Et cum imposuísset eis manus, ábiit inde.

184. Vel:

Tob 4, 5-7. 19 « *Fili, memor esto præceptorum meorum* ».

Audíte, fratres, verba libri Thobis.

Omnibus diébus tuis, fili, Dóminum in mente habe et noli velle peccáre et præteríre præcépta illíus. Iustítiam fac ómni-

bus diébus vitæ tuæ et noli ire in vias iniquitátis, quóniam, agénte te veritátem, próspera erunt itínera in opéribus tuis et in ómnibus, qui fáciunt iustítiam. Ex substántia tua, fili, fac eleemósynam et noli avértere fáciem tuam ab ullo páupere, ne a te avertátur fácies Dei. Omni témpore bénedic Dóminum et póstula ab illo, ut dirigántur vitæ tuæ et omnes sémitæ tuæ et consília bene disponántur, quóniam omnes gentes non habent consílium bonum, sed ipse Dóminus dabit ipsis bonum consílium. Quem enim volúerit, állevat, et, quem volúerit, Dóminus demérgit usque ad ínferos deórsum. Et nunc, fili, memor esto præceptórum meórum, et non deleántur de corde tuo.

185. Vel:

Prov 4, 1-7 « *Audite, filii disciplinam patris* ».

Audíte, fratres, verba libri Proverbiórum.

Audíte, fílii, discíplinam patris et atténdite, ut sciátis prudéntiam; quóniam doctrínam bonam tríbuam vobis, legem meam ne derelinquátis. Nam et ego fílius fui patris mei, tenéllus et unigénitus coram matre mea; et docébat me atque dicébat: « Suscípiat verba mea cor tuum, custódi præcépta mea et vives. Pósside sapiéntiam, pósside prudéntiam, ne obliviscáris neque declínes a verbis oris mei. Ne dimíttas eam, et custódiet te, dílige eam, et servábit te. Princípium sapiéntiæ: pósside sapiéntiam et in omni possessióne tua acquíre prudéntiam ».

186. Vel:

Mt 18, 1-5. 10 « *Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit* ».

In illa hora accessérunt ... me súscipit. *10* Vidéte ...

187. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 127 (128), 1-2. 3. 4-6a

℟. (4) *Ecce sic benedicétur qui timet Dóminum.*

vel:

℟. (cf. 1) *Beáti omnes qui timent Dóminum.*

188. Ille qui præest, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

189. Sequitur prex communis. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, ille qui præest seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

Deum omnipoténtem, quem Dóminus Iesus, Patrem nostrum invocáre nos dócuit, súpplices deprecémur dicéntes:

℟. *Pater sancte, custódi fílios tuos.*

Pater amábilis, qui ita hómines dilexísti
ut Fílium tuum unigénitum dares,
— nos fílios tuos in Baptísmo regenerátos
prótege atque tuére. ℟.

Qui in Fílio dilectiónis tuæ plene tibi complacuísti,
— concéde ut munus cuíque commíssum
in mundo et in Ecclésia fidéliter prosequámur. ℟.

Qui Fílium tuum Maríæ et Ioseph
piíssimæ custódiæ, dum adolésceret, commisísti,
— concéde ut fílii
crescant per ómnia in illum. ℟.

Qui derelictórum sortem
præcípuo amóre proséqueris,

— fac ut omnes púeri, qui familiári carent afféctu,
christiána communitáte adiuvánte,
paternitátem tuam vívide experiántur. ℟.

ORATIO BENEDICTIONIS

190. Tum parentes, pro opportunitate, filios signo crucis in fronte signantes, benedictionis orationem proferunt:

Pater sancte, inexháustus vitæ fons,
et ómnium auctor bonórum,
tibi benedícimus tibíque grátias ágimus,
qui amóris nostri communiónem
filiórum dono lætificáre voluísti:
concéde, quǽsumus,
ut hæc novélla famíliæ membra,
in doméstica societáte viam invéniant,
qua ad melióra semper adspírent,
et ad finem sibi præstitútum
aliquándo, te favénte, váleant perveníre.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

---

191. Ministri, qui parentes non sunt, hanc benedictionis orationem proferunt:

Dómine Iesu Christe,
qui tanto párvulos es prosecútus amóre,
ut qui illos suscepíssent te suscípere díxeris:
preces nostras pro his párvulis
(hoc párvulo/hac párvula) exáudi,
et, quos (quem/quam) Baptísmatis grátia cumulásti,
contínua protectióne custódi,
ut, cum adoléverint (adoléverit) líbera te fide

confiteántur (confiteátur)
in caritáte sint férvidi (sit férvidus/férvida),
et in regni tui spe fórtiter persevérent (persevéret).
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

CONCLUSIO RITUS

192. Tum parentes, seipsos signantes, ritum concludunt dicentes:

Dóminus Iesus, qui púeros diléxit,
nos benedícat et in suo amóre custódiat.

Hac formula utitur et minister laicus.

---

193. Minister vero qui est sacerdos vel diaconus ritum concludit dicens:

Dóminus Iesus, qui púeros diléxit,
vos benedícat et in suo amóre custódiat.

Omnes respondent:

Amen.

FORMULA BREVIS

194. Pro opportunitate adhiberi potest formula brevis benedictionis:

Dóminus te (vos) custódiat,
et in suo amóre te (vos) créscere fáciat,
ut digne ámbules (ambulétis)
vocatióne qua vocátus es (vocáti estis).

℟. Amen.

VI. ORDO BENEDICTIONIS DESPONSATORUM

PRÆNOTANDA

195. Inter coniugum christianorum officia et eorum apostolatus formas, præter filiorum educationem, haud parvi videtur esse momenti auxilium desponsatis præstandum quo ipsi melius sese ad Matrimonium præparent.

Honesta igitur christianorum sponsalia pro duabus familiis peculiaris fiunt eventus, quem aliquo ritu et communi oratione celebrare convenit ut benedictione divina impetrata, quod feliciter incipitur, feliciter etiam suo tempore consummetur.

Quo melius id obtineri possit, celebratio rerum adiunctis erit accommodanda.

196. Quando sponsalia in intimitate duarum familiarum celebrantur, unus ex parentibus ritui benedictionis opportune præesse potest. Si vero adsit sacerdos vel diaconus, tunc ipsi præsidis officium opportunius competit, dummodo perspicuum adstantibus evadat non agi de celebratione Matrimonii.

197. Ordo igitur, qui hic præbetur, adhiberi potest tum a parentibus, tum a sacerdote, a diacono vel ab alio laico qui, potioribus elementis ac ritus structura servatis, adiunctis singulas partes aptabunt.

198. Hic Ordo celebrationis adhiberi potest etiam quando, iam inito sponsalium tempore, desponsati adunantur ad catecheticam præparationem faciendam antequam Matrimonium celebretur. Numquam vero sponsalia vel peculiaris benedictio desponsatorum cum Missæ celebratione sunt coniungenda.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

199. Familia congregata, ille qui præest dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

200. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, adstantes salutat, dicens:

Grátia vobis et pax
a Dómino nostro Iesu Christo,
qui diléxit nos et trádidit se ipsum pro nobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

---

201. Si minister est laicus, adstantes salutat dicens:

Fratres, Dóminum nostrum Iesum Christum laudémus,
qui diléxit nos et trádidit se ipsum pro nobis.

Omnes respondent:

Amen.

---

202. Tum minister adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Omnibus omníque témpore grátiam Dei semper necessáriam esse scimus; néminem tamen latet eádem grátia tum máxime christifidélibus opus esse cum ad novam famíliam instituéndam se prǽparant.
Ut ergo hi fratres nostri in mútua crescant æstimatióne, sincérius se díligant atque opportúna vitæ necessitúdine et commúni oratióne sancti Matrimónii celebratiónem caste matúrent, divínam pro ipsis benedictiónem implorémus.

LECTIO VERBI DEI

203. Deinde unus ex adstantibus vel ipse minister legit textum Sacrarum Scripturarum.

Io 15, 9-12 « *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Ioánnem.

Dixit Iesus discípulis suis: « Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos; manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut ego Patris mei præcépta servávi et máneo in eius dilectióne. Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos ».

204. Vel:

1 Cor 13, 4-13 « *Caritas omnia credit, sperat, suffert* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Corínthios.

Cáritas pátiens est, benígna est cáritas, non æmulátur, non agit supérbe, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit, quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitátem, congáudet autem veritáti; ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet.
Cáritas numquam éxcidit. Sive prophetíæ, evacuabúntur; sive línguæ, cessábunt; sive sciéntia, destruétur. Ex parte enim cognóscimus et ex parte prophetámus; cum autem vénerit, quod perféctum est, evacuábitur, quod ex parte est. Cum essem párvulus, loquébar ut párvulus, sapiébam ut párvulus, cogitábam ut párvulus; quando factus sum vir, evacuávi, quæ erant párvuli.
Vidémus enim nunc per spéculum in ænígmate, tunc autem

fácie ad fáciem; nunc cognósco ex parte, tunc autem cognóscam, sicut et cógnitus sum. Nunc autem manet fides, spes, cáritas, tria hæc; maior autem ex his est cáritas.

205. Vel:

Os 2, 21-26 *Sponsabo te in fide.*
Hæc dicit Dóminus ad Sion: « Sponsábo te mihi ...

Phil 2, 1-5 « *Idipsum sentientes* ».
Fratres, si qua consolátio in Christo ...

206. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 144 (145), 8-9. 10 et 15. 17-18
℟. (9a) *Suávis Dóminus univérsis.*

207. Ille qui præest adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant, eamque recte a celebratione Matrimonii distinguere valeant.

PRECES

208. Sequitur prex communis. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, ille qui præest seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant:

Deum Patrem, qui hómines ita diléxit ut fílios suos rédderet in Christo, eósque dilectiónis suæ testes mundo manifestáret, fidénter invocémus:

℟. *Amórem tuum, Dómine, fac nos habére perpétuum.*

Qui in mútua dilectióne veros fílios tuos,
Christi fratres,
maniféstos fíeri voluísti. ℟.

Qui suáves amóris tui condiciónes homínibus impónis,
ut iísdem obsequéntes,
felicitátem invéniant. ℟.

Qui virum et mulíerem,
mútua dilectióne coniúngis
ut quæ inde família constitúitur
filiórum coróna lætétur. ℟.

Qui amóris sponsális plenitúdinem
in Matrimónii sacraménto
per oblatiónem paschálem Fílii tui mýstice figurásti,
qua Christus diléxit Ecclésiam
eámque immaculátam tibi in sánguine suo exhíbuit. ℟.

Qui N. et N.
ad plenam ádvocas amóris communiónem
qua christiánæ famíliæ membra
corde fiant et ánimo unum. ℟.

209. Ante orationem benedictionis, secundum loci consuetudinem, sponsalia contrahentes signum promissionis exprimere possunt, v. gr. alicuius instrumenti subsignatione, anulorum vel aliorum donorum traditione.

210. Anuli vel alia desponsationis dona possunt sequenti formula benedici:

Obláta ínvicem múnera ita servétis,
ut, quæ mútua donatióne spopondístis,
suo témpore compleátis.

℟. Amen.

ORATIO BENEDICTIONIS

211. Tum ille qui præest, manibus iunctis, orationem profert; si vero est sacerdos vel diaconus, manibus extensis:

Laudes tibi, Dómine, persólvimus,
qui hos fílios tuos N. et N.
ad ínvicem diligéndos

suávi consílio próvocas atque dispónis;
eórum corda, quǽsumus, confirmáre dignéris,
ut fidem servántes,
et per ómnia tibi placéntes,
ad coniúgii sacraméntum felíciter pervéniant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

212. Vel quando præest sacerdos vel diaconus:

Dómine Deus, totíus fons dilectiónis,
cuius providénti consílio
iúvenes isti mútuo sibi obviavérunt occúrsu;
concéde propítius
ut qui ad sacraméntum se præparántes
tuam grátiam éxpetunt,
supérna benedictióne ✠ suffúlti,
et mútua æstimatióne profíciant
et ínvicem sincéra díligant caritáte.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

CONCLUSIO RITUS

213. Tum ille qui præest ritum concludit dicens:

Deus amóris et pacis hábitet in vobis,
gressus vestros dírigat
et corda vestra in suo amóre confírmet.

Omnes:

Amen.

214. Celebratio laudabiliter cantu apto perficitur.

VII. ORDINES AD BENEDICENDAM MULIEREM ANTE VEL POST PARTUM

PRÆNOTANDA

215. Benedictio mulieris ante partum peragi potest pro singula muliere præsertim in medio propriæ familiæ, vel pro pluribus in valetudinariis. Quo in casu, formulæ numero plurali proferantur.

216. Benedictio vero mulieris post partum, quæ hic præbetur, cum respiciat tantum casum alicuius mulieris quæ non valuit participare celebrationi Baptismi filii sui, peragitur pro singula.

217. Ordines, qui hic præbentur, adhiberi possunt a sacerdote, a diacono et etiam a laico, qui potioribus elementis ac ritus structura servatis, mulierum et locorum adiunctis celebrationem aptabunt.

218. In peculiaribus adiunctis, sacerdos vel diaconus adhibere possunt formulas breves, quæ post Ritus breviores nn. 235 et 257 exhibentur.

A.

ORDO BENEDICTIONIS MULIERIS ANTE PARTUM

RITUS INITIALES

219. Familia vel communitate fidelium congregata, minister dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

220. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, mulierem et adstantes salutat, dicens:

Christus, Dei Fílius,

qui in sinu Vírginis Maríæ factus est homo,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

---

221. Si vero minister est laicus, mulierem et adstantes salutat, dicens:

Fratres, Dóminum Iesum benedicámus,
qui in sinu Vírginis Maríæ
factus est homo.

Omnes respondent:

Benedíctus Deus in sǽcula.

vel:

Amen.

---

222. Tum minister mulierem et adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Omnis vitæ Dóminus est Deus, qui síngulos hómines esse decérnit, omniúmque vitam sua providéntia regit atque consérvat. Id autem máxime valére crédimus, quóties ágitur de vita quæ ex christiáno exórta conúbio, ipsíus vitæ divínæ dono in Baptísmi sacraménto suo témpore recipiéndo cumulábitur. Id plane exprímere inténdit benedíctio mulíeris ante partum, ut in fide et in spe múlier ipsa tempus exspéctet pariéndi et divínæ dilectióni coóperans fructum quem gerit matérno iam prosequátur amóre.

LECTIO VERBI DEI

223. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse minister legit textum e Sacra Scriptura.

Lc 1, 39-45 « *Exsultavit infans in utero* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Lucam.

In diébus illis exsúrgens María ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Iudæ, et intrávit in domum Zacharíæ et salutávit Elísabeth. Et factum est ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero eius, et repléta est Spíritu Sancto Elísabeth et exclamávit voce magna et dixit: « Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. Et beáta, quæ crédidit, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt ei a Dómino ».

224. Vel:

Lc 1, 26-38 « *Ecce concipies et paries filium* ».
Missus est ángelus Gábriel a Deo ...

Lc 2, 1-14 « *Peperit Maria filium suum* ».
Factum est in diébus illis ...

225. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 32 (33), 12 et 18. 20-21. 22
℟. (5b) *Misericórdia Dómini plena est terra.*

226. Minister, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

227. Sequitur prex communis. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, minister seligere potest eas quæ aptiores videantur, vel alias adicere quæ peculiaria mulieris vel rerum adiuncta respiciant.

Christum Dóminum, benedíctum fructum ventris Maríæ qui per mystérium Incarnatiónis suæ, grátiam et benignitátem in mundum effúndere dignátus est, débitis láudibus extollámus dicéntes:

℟. *Benedíctus es, Dómine, in bonitáte et misericórdia tua.*

Qui ex mulíere homo fíeri dignátus es,
ut adoptiónem filiórum reciperémus. ℟.

Qui matris úterum non horruísti,
sed ventrem qui te portávit et úbera quæ suxísti
beáta prædicári voluísti. ℟.

Qui per Vírginem Maríam,
benedíctam inter mulíeres,
femíneum sexum honorásti. ℟.

Qui in cruce pendens
Maríam Ecclésiæ dedísti matrem,
quam tuam elégeras. ℟.

Qui per matrum ministérium
Ecclésiam tuam nova prole fecúndas,
multíplicans exsultatiónem
et magníficans lætítiam. ℟.

ORATIO BENEDICTIONIS

228. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, pro opportunitate super mulierem manus extendens, vel signo crucis eam in fronte signans, secus vero manibus iunctis benedictionis orationem profert:

Dómine Deus, humáni géneris creátor,
cuius Fílius, Spíritus Sancti cooperánte virtúte,
de Vírgine María nasci dignátus est,
ut antíqui solúto débito peccáti,
hómines redímeret atque salváret,
vota huius fámulæ tuæ
humíliter supplicántis
pro nascitúræ prolis integritáte
benígnus súscipe,
et concéde
ut fílium próspere páriat,
qui tuis fidélibus aggregétur,
et tibi in ómnibus desérviens
vitam consequátur ætérnam.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

229. Post orationem benedictionis, minister omnes adstantes invitat ad protectionem b. Mariæ Virginis invocandam, quod opportune fit recitatione vel cantu antiphonæ (cf. App. n. 1):

Sub tuum præsídium confúgimus,
 sancta Dei Génetrix;
nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus;
sed a perículis cunctis líbera nos semper,
 Virgo gloriósa et benedícta.

Pro hac supplicatione adhiberi possunt et aliæ preces: v. gr. antiphona *Alma Redemptóris Mater;* vel *Ave María;* vel *Salve, Regína* (cf. App. nn. 2-4).

CONCLUSIO RITUS

230. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, ad mulierem conversus, ritum concludit post invitatorium: Inclináte vos ad benedictiónem vel aliud, dicens:

Deus, fons et orígo omnis vitæ,
bonitáte sua te prótegat.

℟. Amen.

Fidem tuam confírmet,
spem róboret,
caritátem in dies augére dignétur.

℟. Amen.

Témpore partus,
supplicatiónibus tuis adsit
et sua te grátia confírmet.

℟. Amen.

Denique omnes adstantes benedicit, dicens:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

---

231. Si vero minister est laicus, super mulierem omnesque adstantes benedictionem Domini implorat, seipsum signans ac dicens:

Deus, qui per beátæ Maríæ Vírginis partum
salútis ætérnæ gáudia
humáno géneri annuntiávit et præstitit,
nos benedícere et custodíre dignétur.

℟. Amen.

B.

RITUS BREVIOR

232. Minister dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

Omnes respondent:

℟. Qui fecit cælum et terram.

233. Tunc ab uno ex adstantibus vel ab ipso ministro legitur textus Sacræ Scripturæ, v. gr.:

Is 44, 3: Effúndam aquas super terram sitiéntem et fluénta super áridam; effúndam spíritum meum super semen tuum et benedictiónem meam super stirpem tuam.

Lc 1, 41-42a: Factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero eius, et repléta est Spíritu Sancto Elísabeth et exclamávit voce magna et dixit: « Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui ».

234. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, manus super mulierem extendens, secus vero manibus iunctis benedictionis orationem profert:

Dómine Deus, humáni generis creátor,
cuius Fílius, Spíritus Sancti cooperánte virtúte,
de Vírgine María nasci dignátus est,
ut antíqui solúto débito peccáti,
hómines redímeret atque salváret,
vota huius fámulæ tuæ
humíliter supplicántis
pro nascitúræ prolis integritáte
benígnus súscipe,
et concéde
ut fílium próspere páriat,

qui tuis fidélibus aggregétur,
et tibi in ómnibus desérviens
vitam consequátur ætérnam.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Formula brevis

235. Pro opportunitate, sacerdos vel diaconus adhibere potest sequentem formulam brevem benedictionis:

Deus, qui per beátæ Maríæ Vírginis partum
mundum lætificávit,
gáudio sancto ímpleat cor tuum
teque cum prole tua incólumem servet.
In nómine Patris, ✠ et Fílii, et Spíritus Sancti.

℟. Amen.

C.

ORDO BENEDICTIONIS MULIERIS POST PARTUM

236. Benedictio mulieris post partum iam continetur in Ordine Baptismi parvulorum.[12]

237. Si puerpera celebrationi Baptismi filii sui participare non valuit, convenienter benedictio in ipso ritu prævisa, peculiari celebratione resumitur, qua et puerpera et adstantes ad gratias Deo agendas pro accepto beneficio sollicitantur.

Ritus initiales

238. Familia vel communitate fidelium congregata, minister dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

[12] Cf. *Rituale Romanum,* Ordo Baptismi parvulorum, n. 105.

239. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, mulierem et adstantes salutat, dicens:

Christus, Dei Fílius,
qui pro nostra salúte
e Vírgine Matre nasci dignátus est
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

---

240. Si vero minister est laicus, mulierem et adstantes salutat, dicens:

Fratres, Dóminum Iesum benedicámus,
qui pro nostra salúte
e Vírgine Matre nasci dignátus est.

Omnes respondent:

Benedíctus Deus in sǽcula.

vel:

Amen.

---

241. Tum minister mulierem et adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Fílium quem genuísti, magno cum gáudio commúnitas christiána iam excépit. In ritu eius Baptísmatis étiam pro te orá-

vimus ut cónscia doni suscépti munerísque tibi in Ecclésia commíssi, Dóminum cum beáta María Vírgine magnificáres. Nunc vero tecum in gratiárum actióne læto ánimo consociári cúpimus, Dei benedictiónem super te invocántes.

Lectio verbi Dei

242. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse minister legit textum Sacræ Scripturæ.

1 Sam 1, 20-28 « *Dedit mihi Dominus petitionem meam* ».

Audíte, fratres, verba libri primi Samuélis.

Factum est post círculum diérum concépit Anna et péperit fílium vocavítque nomen eius Sámuel, eo quod a Dómino postulásset eum.
Ascéndit autem vir Elcána et omnis domus eius, ut immoláret Dómino hóstiam ánnuam et votum suum. Et Anna non ascéndit; dixit enim viro suo: « Non vadam, donec ablactétur infans, et ducam eum, et appáreat ante conspéctum Dómini et máneat ibi iúgiter ». Et ait ei Elcána vir suus: « Fac, quod bonum tibi vidétur, et mane, donec abláctes eum; precórque, ut ímpleat Dóminus verbum suum ». Mansit ergo múlier et lactávit fílium suum, donec amovéret eum a lacte.
Et addúxit eum secum, postquam ablactáverat, cum vítulo trium annórum et tribus módiis farínæ et utre vini; et addúxit eum ad domum Dómini in Silo. Puer autem erat adhuc infántulus. Et immolavérunt vítulum et obtulérunt púerum Heli, et ait Anna: « Obsecro, mi dómine, vivit ánima tua, dómine; ego sum illa múlier, quæ steti coram te hic orans Dóminum. Pro púero isto orávi, et dedit mihi Dóminus petitiónem meam, quam postulávi eum. Idcírco et ego commodávi eum Dómino; cunctis diébus, quibus vivet, postulátus erit pro Dómino ». Et adoravérunt ibi Dóminum.

243. Vel:

1 Sam 2, 1-10 *Oratio Annæ.*
Et orávit Anna et ait ...

Lc 1, 67-79 « *Benedictus Dominus* ».
Zacharías pater Ioánnis implétus ...

244. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 127 (128), 1-2. 3. 4-6a
℟. (3c) *Fílii tui sicut novéllæ olivárum.*

245. Post lectionem, minister breviter Sacræ Scripturæ textum explanat ut mater et adstantes pro dono a Deo accepto gratias agant graveque omnes, pro sua quisque parte, munus sibi assumant christianæ educationis parvulo impertiendæ.

ACTIO GRATIARUM

246. Sequitur communis gratiarum actio. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, minister seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria mulieris vel rerum adiuncta respiciant.

Pro nova, quæ in hac família efflóruit vita, grátias agámus Dómino, dicéntes:

℟. *Grátias tibi, Dómine.*

Pro infántulo
quem huic matri felíciter largíri voluísti. ℟.

Pro córporis sanitáte quæ, te donánte,
et mater gaudet et fílius. ℟.

Pro recépto Baptísmi sácraménto,
quo cor infántuli templum fecísti Spíritus Sancti. ℟.

Pro seréna lætítia
quam in ómnium corda hac nativitáte infúndere dignáris. ℟.

Pro univérsis benefíciis
quibus nos, Pater, cumuláre non désinis. ℟.

247. Deinde omnes *Magníficat* cantant vel dicunt (cf. App. n. 36). Adhiberi possunt et alii hymni quibus apte gratiarum actio exprimatur.

Oratio benedictionis

248. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, manibus extensis, secus vero manibus iunctis benedictionis orationem profert:

Deus, humánæ vitæ cónditor atque præsídium,
qui huic fámulæ tuæ
gáudium maternitátis largíri dignátus es:
nostras benígnus súscipe laudes
et quas effúndimus preces propítius exáudi,
ut matrem cum prole sua ab omni malo deféndas,
in huius vitæ itinéribus semper comitéris
et in gáudium domus tuæ
suo témpore lætánter excípias.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

249. Vel:

Deus, a quo omnis benedíctio descéndit,
et ad quem húmilis ascéndit precátio benedicéntis,
præsta ut hæc mater, tua benedictióne suffúlta,
et débitas tibi agat habeátque grates,
et una cum fílio suo
de tua semper protectióne lætétur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

CONCLUSIO RITUS

250. Tum celebrans, si est sacerdos vel diaconus, ad mulierem conversus, ritum concludit dicens:

Dóminus Deus omnípotens,
qui tibi gáudia cóntulit maternitátis,
dignétur te benedícere ✠,
ut, quæ de sóbole grátias nunc agis accépta,
perpétua cum ipsa beatitúdine perfruáris.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

251. Vel post invitatorium: Inclína te ad benedictiónem, vel aliud, dicit manibus extensis:

Deus, fons et orígo omnis vitæ,
bonitáte sua te prótegat.
℟. Amen.

Fidem tuam confírmet,
spem róboret,
caritátem in dies augére dignétur.
℟. Amen.

Fílium tuum consérvet
ut córporis gáudeat sanitáte
et mentis sapiéntia præstet.
℟. Amen.

Denique omnes adstantes benedicit, addens:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

252. Si vero minister est laicus, super mulierem omnesque adstantes benedictionem Domini, seipsum signans, implorat, dicens:

Miserátio Dei Patris omnipoténtis,
pax Unigéniti Fílii eius Iesu Christi,
grátia et consolátio Spíritus Sancti,
custódiat vitam vestram,
ut in lúmine fídei ambulántes,
promíssa bona cónsequi valeátis.
Et nos omnes benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

---

253. Celebratio apto cantu laudabiliter perficitur.

D.

RITUS BREVIOR

254. Minister dicit:

℣. Sit nomen Dómini benedíctum.

Omnes respondent:

℟. Ex hoc nunc et usque in sǽculum.

255. Tunc ab uno ex adstantibus vel ab ipso ministro legitur textus Sacræ Scripturæ, v. gr.:

1 Sam 1, 27: Pro púero isto orávi, et dedit mihi Dóminus petitiónem meam, quam postulávi eum.

Lc 1, 68-69: Benedíctus Dóminus Deus Israel, quia visitávit et fecit redemptiónem plebi suæ et eréxit cornu salútis nobis in domo David púeri sui.

1 Th 5, 18: In ómnibus grátias ágite; hæc enim volúntas Dei est in Christo Iesu erga vos.

256. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, manibus extensis, secus vero, manibus iunctis, benedictionis orationem profert.

Deus, a quo omnis benedíctio descéndit,
et ad quem húmilis ascéndit precátio benedicéntis,
præsta ut hæc mater, tua benedictióne suffúlta,
et débitas tibi agat habeátque grates,
et una cum fílio suo
de tua semper protectióne lætétur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

FORMULA BREVIS

257. Pro opportunitate sacerdos vel diaconus adhibere potest sequentem formulam brevem benedictionis:

Dóminus Deus omnípotens,
qui temporáli Fílii sui nativitáte
mundum lætificáre dignátus est,
te benedícat ✠,
ut de accépta prole,
semper in Dómino lætéris.

℟. Amen.

VIII. ORDO BENEDICTIONIS SENUM DOMI MANENTIUM

PRÆNOTANDA

258. Senes quorum vires debilitantur, domi vel simul in peculiari valetudinario degentes, fraterno egent adiutorio, ut in familiam et communitatem ecclesialem adhuc plene receptos se sentiant. Hæc bene-

dictio ad hoc tendit ut ipsi senes a fratribus testimonium accipiant reverentiæ gratæque mentis, dum simul cum ipsis Domino gratias reddimus pro beneficiis ab eo acceptis et pro bonis operibus eo adiuvante peractis.

259. Ordo, qui hic præbetur, adhiberi potest a sacerdote, a diacono et etiam a laico, qui, ritus structura ac præcipuis elementis servatis, singulis adiunctis celebrationem aptabunt.

260. Benedictio senum haberi etiam potest, quibusdam selectis elementis ex hoc Ordine, ut infra nn. 277-285 indicatur vel intra Missæ celebrationem, post homiliam, vel in fine Missæ, vel quando senibus domi detentis Ss.ma Eucharistia defertur etiam ab acolytho, vel ab alio ministro extraordinario sacræ Communionis ad normam iuris deputato, ritibus et precibus pro laicis prævisis.

261. Si vero unus alterve senex est benedicendus, in alia benedictionis celebratione adhiberi potest formula brevis quæ in fine horum Ordinum, n. 289, exhibetur.

A.

ORDO BENEDICTIONIS

Ritus initiales

262. Familia vel communitate fidelium congregata, minister dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

263. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, senes ceterosque adstantes salutat, dicens:

Grátia Dómini nostri Iesu Christi,
et cáritas Dei
et communicátio Sancti Spíritus
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

---

264. Si vero minister est laicus, senes et adstantes salutat, dicens:

Dóminum Iesum, fratres, benedicámus,
qui in ulnas a beáto Simeóne accéptus,
dum a sene portabátur
ipse senem regébat.

Omnes respondent:

Benedíctus Deus in sǽcula.

vel:

Amen.

---

265. Tum minister senes et adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Tempus senectútis donum Dei est, quod grato ánimo récipi debet. Hi fratres nostri iam ætáte provécti, divítias experiéntiæ ac vitæ christiánæ nobis trádere possunt. Cum illis sociáti, Deo grátias agámus eiúsque adiutórium pro ipsis implorémus, ut spes eórum erigátur et fidúcia firmétur.

Lectio verbi Dei

266. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse minister legit textum e Sacra Scriptura.

Lc 2, 25-32. 36-38 « *Exspectantes consolationem Israel* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Lucam.

Homo erat in Ierúsalem, cui nomen Símeon, et homo iste iustus et timorátus, exspéctans consolatiónem Israel, et Spíritus Sanctus erat super eum, et respónsum accéperat a Spíritu Sancto non visúrum se mortem nisi prius vidéret Christum Dómini. Et venit in Spíritu in templum. Et cum indúcerent púerum Iesum paréntes eius, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo, et ipse accépit eum in ulnas suas et benedíxit Deum et dixit:
« Nunc dimíttis servum tuum, Dómine,
secúndum verbum tuum in pace,
quia vidérunt óculi mei
salutáre tuum,
quod parásti
ante fáciem ómnium populórum,
lumen ad revelatiónem géntium
et glóriam plebis tuæ Israel ».

Et erat Anna prophetíssa, fília Phánuel, de tribu Aser. Hæc procésserat in diébus multis et víxerat cum viro suo annis septem a virginitáte sua; et hæc vídua usque ad annos octogínta quáttuor, quæ non discedébat de templo, ieiúniis et obsecratiónibus sérviens nocte ac die. Et hæc ipsa hora supervéniens confitebátur Deo et loquebátur de illo ómnibus, qui exspectábant redemptiónem Ierúsalem.

(Ex præcedenti textu, si casus fert, pars tantum legi potest).

267. Vel:

Sir 3, 2-18 « *Suscipe senectam patris mei* ».
Indícium patris audíte, fílii ...

Sir 25, 6-8. 13-16 « *Gloria senum: timor Dei* ».
Quam speciósum ... *13*. Quam magnus ...

Sap 4, 8-9 « *Ætas senectutis vita immaculata* ».
Senéctus venerábilis, non quæ est diutúrna ...

Phil 3, 20 — 4, 1 « *Salvatorem exspectamus* ».
Noster municipátus in cælis est ...

268. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 70 (71), 1-2. 3-4. 5-6. 14-15
℟. (12b) *Deus meus, in auxílium meum festína.*

Ps 125 (126), 1-2b. 2d-3. 4-5. 6
℟. (3) *Magnificávit Dóminus fácere nobíscum;*
facti sumus lætántes.

269. Minister, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

270. Sequitur prex communis. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, minister seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria senum vel rerum adiuncta respiciant.

Deum Patrem omnipoténtem, qui nos omni ætáte grátiæ suæ iuventúte rénovat atque confírmat, súpplices deprecémur, dicéntes:

℟. *Ne derelínquas nos, Dómine.*

Deus, qui Simeóni et Annæ,
exspectántibus redemptiónem Israel,
Fílium tuum misericórditer revelásti,
— tríbue ut hi fámuli tui
vídeant in fide salutáre tuum
et Sancti Spíritus consolatióne læténtur. ℟.

Qui per Fílium tuum in mundum
ómnibus laborántibus angoribúsque onerátis
refectiónem sanctam promisísti et pacem,
— fac ut hi fámuli tui
cotídie crucem suam patiénter tollant. ℟.

Qui benignitáte et munificéntia,
præcláre semper excéllis,
— præsta ut his fámulis tuis débitum solácium
a propínquis et amícis amabíliter tribuátur. ℟.

Qui néminem a patérna tua dilectióne destítuis
et quos humilióres invéneris
eósdem suavióre díligis caritáte,
— concéde, ut in humánæ societátis consórtio
senum dígnitas agnoscátur et fírmiter observétur. ℟.

ORATIO BENEDICTIONIS

271. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, pro opportunitate super omnes senes simul vel super singulos manus extendens, vel signo crucis singulos in fronte signans, secus vero manibus iunctis benedictionis orationem profert:

Dómine, Deus noster,
qui his fidélibus tuis grátiam largítus es,
ut, inter vitæ varietátes, te spem suam dúcerent,
et quam bonus esses gustárent atque vidérent,
tibi, quod per tot sériem annórum
eos munéribus cumuláveris,
benedícimus et pétimus ut,
renováta semper exsúltent spíritus iuventúte,
córporum vígeant sanitáte,
et iucúndum stúdeant

suæ conversatiónis exémplum ómnibus exhibére.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

272. Vel:

Tibi, omnípotens ætérne Deus,
in quo vívimus, movémur et sumus,
grátias ágimus et benedícimus,
quia his fámulis tuis longitúdinem diérum
cum perseverántia in fide
et in bonis opéribus tribuísti:
præsta, quǽsumus, Dómine,
ut fratrum benevoléntia confortáti,
et de bona valetúdine læténtur,
et de infírma non se demíttant,
ut benedictióne tua refécti,
matúræ tempus ætátis
in tui laudem libénter impéndant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

273. Vel:

Dómine, Deus omnípotens,
qui his fámulis tuis
longǽvam donásti senectútem,
benedictiónem tuam eis impertíre dignéris:
te séntiant sibi suáviter adésse,
ut, respiciéntes prætérita, de tua misericórdia læténtur,
et prospiciéntes futúra, in spe sancta fiduciáliter persevérent.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

CONCLUSIO RITUS

274. Tum celebrans, si est sacerdos vel diaconus, ritum concludit, dicens ad senes conversus invitatorium: Inclináte vos ad benedictiónem, vel aliud, atque addens, manibus extensis:

Dóminus Iesus Christus
apud vos máneat ut vos defféndat.
℟. Amen.

Ante vos sit ut vos dedúcat,
post vos sit ut vos múniat.
℟. Amen.

Vos respíciat, vos consérvet
atque vos benedícat.
℟. Amen.

Denique omnes adstantes benedicit, addens:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

---

275. Si vero minister est laicus, se signans, super senes omnesque adstantes benedictionem Domini implorat, dicens:

Dóminus nos benedícat,
et ab omni malo defféndat,
et ad vitam perdúcat ætérnam.
℟. Amen.

---

276. Celebratio laudabiliter cantu apto perficitur.

B.

ORDO BENEDICTIONIS CELEBRATIONI MISSÆ CONIUNCTÆ

277. Homilia expleta, fit prex communis vel modo in Missæ celebratione consueto vel modo qui hic proponitur. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria senum vel rerum adiuncta respiciant. Semper tamen adhibenda est oratio benedictionis quæ infra proponitur.

Deum Patrem omnipoténtem, qui nos omni ætáte grátiæ suæ iuventúte rénovat atque confírmat, súpplices deprecémur, dicéntes:

℟. *Ne derelínquas nos, Dómine.*

Deus, qui Simeóni et Annæ,
exspectántibus redemptiónem Israel,
Fílium tuum misericórditer revelásti,
— tríbue ut hi fámuli tui
vídeant in fide salutáre tuum
et Sancti Spíritus consolatióne læténtur. ℟.

Qui per Fílium tuum in mundum
ómnibus laborántibus angoribúsque onerátis
refectiónem sanctam promisísti et pacem,
— fac ut hi fámuli tui
cotídie crucem suam patiénter tollant. ℟.

Qui benignitáte et munificéntia
præcláre semper excéllis,
— præsta ut his fámulis tuis débitum solácium
a propínquis et amícis amabíliter tribuátur. ℟.

Qui néminem a patérna tua dilectióne destítuis
et quos humilióres invéneris

eósdem suavióre díligis caritáte,
— concéde, ut in humánæ societátis consórtio
senum dígnitas agnoscátur et fírmiter observétur. ℟.

278. Tum celebrans super omnes senes simul manus extendens, immediate subiungit:

Dómine, Deus noster,
qui his fidélibus tuis grátiam largítus es,
ut, inter vitæ varietátes, te spem suam dúcerent,
et quam bonus esses gustárent atque vidérent,
tibi, quod per tot sériem annórum
eos munéribus cumuláveris,
benedícimus et pétimus ut,
renováta semper exsúltent spíritus iuventúte,
córporum vígeant sanitáte,
et iucúndum stúdeant
suæ conversatiónis exémplum ómnibus exhibére.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

279. Si vero opportunius iudicatur, in fine Missæ post invitatorium: Inclináte vos ad benedictiónem, vel aliud quo senes invitantur ad benedictionem peculiarem accipiendam, celebrans manibus super senes extensis, dicit benedictionem vel orationem omnibus respondentibus:

Amen.

BENEDICTIO

280. Ad senes conversus celebrans dicit:

Dóminus Iesus Christus
apud vos máneat ut vos deféndat.

℟. Amen.

Ante vos sit ut vos dedúcat,
post vos sit ut vos múniat.

℟. Amen.

Vos respíciat, vos consérvet
atque vos benedícat.

℟. Amen.

Denique omnes adstantes benedicit, addens:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

ORATIO

281. Celebrans, manibus super senes extensis, dicit:

Tibi, omnípotens ætérne Deus,
in quo vívimus, movémur et sumus,
grátias ágimus et benedícimus,
quia his fámulis tuis longitúdinem diérum
cum perseverántia in fide
et in bonis opéribus tribuísti:
præsta, quǽsumus, Dómine,
ut fratrum benevoléntia confortáti,
et de bona valetúdine læténtur,
et de infírma non se demíttant,
ut benedictióne tua refécti,
matúræ tempus ætátis
in tui laudem libénter impéndant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

282. Post orationem, celebrans subdit:

Et benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.

℟. Amen.

C.

ORDO BENEDICTIONIS COMMUNIONI EXTRA MISSAM CONIUNCTÆ

283. Si ritus cum ampliore verbi Dei celebratione coniungitur, textus Sacræ Scripturæ sumi potest ex his qui supra nn. 266-268 proponuntur.

284. Prex communis fieri potest modo supra proposito n. 270 et concluditur semper, si celebrans sacerdos vel diaconus sit, sequenti oratione, quæ, extensis ad senes manibus, dicitur:

Dómine, Deus noster,
qui his fidélibus tuis grátiam largítus es,
ut, inter vitæ varietátes, te spem suam dúcerent,
et quam bonus esses gustárent atque vidérent,
tibi, quod per tot sériem annórum
eos munéribus cumuláveris,
benedícimus et pétimus ut,
renováta semper exsúltent spíritus iuventúte,
córporum vígeant sanitáte,
et iucúndum stúdeant
suæ conversatiónis exémplum ómnibus exhibére.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

285. Si vero minister est laicus dicit, manibus iunctis, sequentem benedictionis orationem:

Dómine, Deus omnípotens,
qui his fámulis tuis
longǽvam donásti senectútem,
benedictiónem tuam eis impertíre dignéris:
te séntiant sibi suáviter adésse,
ut, respiciéntes prætérita, de tua misericórdia læténtur,
et prospiciéntes futúra, in spe sancta fiduciáliter persevérent.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

D.

RITUS BREVIOR

286. Minister dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

Omnes respondent:

℟. Qui fecit cælum et terram.

287. Tunc ab uno ex adstantibus vel ab ipso ministro legitur textus Sacræ Scripturæ, v. gr.:

Sap 4, 8: Senéctus venerábilis, non quæ est diutúrna, neque annórum número computátur; cani autem sunt sensus hóminis, et ætas senectútis vita immaculáta.

Iac 5, 7-8: Patiéntes estóte, fratres, usque ad advéntum Dómini. Ecce agrícola exspéctat pretiósum fructum terræ, patiénter ferens, donec accípiat imbrem temporáneum et serótinum. Patiéntes estóte et vos.

Lc 9, 23: Dicébat Iesus ad omnes: « Si quis vult post me veníre, ábneget seípsum et tollat crucem suam cotídie et sequátur me ».

288. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, pro opportunitate, super senem manus extendens, vel signo crucis eum in fronte signans, secus vero, manibus iunctis, benedictionis orationem profert:

Dómine, Deus omnípotens,
qui huic fámulo tuo
longǽvam donásti senectútem,
benedictiónem tuam ei impertíre dignéris:
te séntiat sibi suáviter adésse,
ut, respíciens prætérita, de tua misericórdia lætétur
et prospíciens futúra in spe sancta fiduciáliter persevéret.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

FORMULA BREVIS

289. Pro opportunitate sacerdos vel diaconus adhibere potest formulam brevem benedictionis:

Benedícat ✠ te (vos) omnípotens Deus
qui néminem derelínquit
et usque in senéctam et sénium
fílios suos patérna cura susténtat.

℟. Amen.

CAPUT II

ORDO BENEDICTIONIS INFIRMORUM

PRÆNOTANDA

290. Antiquissima est consuetudo, quæ originem ducit e Christi et Apostolorum se gerendi ratione, ut infirmi ab Ecclesiæ ministris benedicantur. Ministri, cum infirmos visitant, diligenter servent oportet ea quæ in Ordine Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curæ, nn. 42-45, dicuntur; sed in primis sollicitudinem et caritatem Christi et Ecclesiæ eis manifestent.

291. In Ordine Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curæ, plures benedicendi infirmos occasiones prævidentur ac benedictionis formulæ indicantur.[13]

292. Ordo, qui hic præbetur, adhiberi potest tum a sacerdote, tum a diacono, et etiam a laico, ritibus tamen et precibus pro laico prævisis, qui omnes, ritus structura et potioribus elementis servatis, infirmorum et locorum adiunctis celebrationem aptabunt.

293. Si unus tantum infirmus est benedicendus in alia benedictionis celebratione, sacerdos vel diaconus adhibere potest formulam brevem quæ post Ritum breviorem n. 320 exhibetur.

I. ORDO BENEDICTIONIS

A. PRO ADULTIS

RITUS INITIALES

294. Communitate congregata, minister dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

[13] Cf. *Rituale Romanum,* Ordo Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curæ, n. 45.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

295. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, infirmos et adstantes salutat, dicens:

Pax huic dómui et ómnibus habitántibus in ea.

vel:

Pax Dómini sit semper vobíscum.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

---

296. Si vero minister est laicus, infirmos et adstantes salutat, dicens:

Fratres, Dóminum benedicámus,
qui pertránsiit benefaciéndo
et sanándo omnes.

Omnes respondent:

Benedíctus Deus in sǽcula.

vel:

Amen.

---

297. Tum minister infirmos et adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel simílibus verbis:

Dóminus Iesus, qui pertránsiit benefaciéndo et sanándo omnes languóres et infirmitátes, discípulis suis commísit ut curam habérent infirmórum, super eos manus impónerent eósque in

nómine suo benedícerent. In hac celebratióne, fratres infírmos Deo commendábimus ut omnes córporis et ánimi dolóres patiénter válеant sustinére, sciéntes quóniam, sicut sócii sunt passiónum Christi, sic erunt et consolatiónis.

LECTIO VERBI DEI

298. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse minister legit textum Sacrarum Scripturarum, ex iis potissimum selectum qui in Ordine Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curæ et in Lectionario Missarum pro infirmis indicantur.[14] Seligantur autem textus qui infirmorum condiciones, tam animi quam corporis melius respicere videantur.

2 Cor 1, 3-7 « *Deus totius consolationis* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Corínthios.

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra, ut possímus et ipsi consolári eos, qui in ómni pressúra sunt, per exhortatiónem, qua exhortámur et ipsi a Deo; quóniam, sicut abúndant passiónes Christi in nobis, ita per Christum abúndat et consolátio nostra. Sive autem tribulámur, pro vestra exhortatióne et salúte; sive exhortámur, pro vestra exhortatióne, quæ operátur in tolerántia earúndem passiónum, quas et nos pátimur. Et spes nostra firma pro vobis, sciéntes quóniam, sicut sócii passiónum estis, sic éritis et consolatiónis.

299. Vel:

Mt 11, 28-30 « *Venite ad me et ego reficiam vos* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evángelii secúndum Matthǽum.

In illo témpore dixit Iesus discípulis suis: « Veníte ad me, omnes, qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tól-

[14] Cf. *Rituale Romanum*, Ordo Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curæ, nn. 153-229; *Missale Romanum*, Ordo Lectionum Missæ, nn. 790-795, 796-800, 933-937.

lite iugum meum super vos et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde, et inveniétis réquiem animábus vestris. Iugum enim meum suáve et onus meum leve est ».

300. Vel:

Mc 6, 53-56 « *In plateis ponebant infirmos* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Marcum.

In illo témpore: cum Iesus et discípuli eius transfretássent in terram, pervenérunt Gennésaret et applicuérunt.
Cumque egréssi essent de navi, contínuo cognovérunt eum et percurréntes univérsam regiónem illam cœpérunt in grabátis eos, qui se male habébant, circumférre, ubi audiébant eum esse. Et quocúmque introíbat in vicos aut in civitátes vel in villas, in platéis ponébant infírmos, et deprecabántur eum ut vel fímbriam vestiménti eius tángerent; et quotquot tangébant eum, salvi fiébant.

301. Pro opportunitate, dici vel cani potest psalmus responsorius, aut alius cantus aptus:

Is 38, 10. 11. 12a-d. 16
℟. (cf. 17b) *Tu, Dómine, eruísti ánimam meam, ut non períret.*

Ps 101 (102), 2-3. 24-25
℟. (2) *Dómine, exáudi oratiónem meam*
et clamor meus ad te véniat.

302. Minister, pro opportunitate adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

Preces

303. Sequitur prex communis. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, minister seligere potest eas quæ aptiores videantur vel

alias adicere quæ peculiaria rerum vel infirmorum adiuncta respiciant.

Dómino Iesu, salvatóri nostro, ut fratres nostros ægrótos sua grátia consolétur, fidénter supplicémus, dicéntes:

℟. *His infírmis, Dómine, adésto propítius.*

Qui médicus venísti carnális et spiritális,
ut nostras sanáres infirmitátes. ℟.

Qui vir dolórum
languóres nostros portásti
et dolóres nostros ipse tulísti. ℟.

Qui per ómnia voluísti frátribus similári,
ut teípsum misericórdem manifestáres. ℟.

Qui carnis debilitátem experíri voluísti,
ut nos a malo liberáres. ℟.

Qui Genetrícem tuam iuxta crucem stantem
in dolóribus sóciam habuísti
eámque matrem nobis dedísti. ℟.

Qui vis ut in carne nostra adimpleámus
quæ desunt passiónum tuárum
pro córpore tuo, quod est Ecclésia. ℟.

304. Loco communis supplicationis dici possunt, vel etiam supplicationi adici, litaniæ quæ in Ordine Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curæ sub nn. 240 et 241 inveniuntur:

Qui infirmitátes nostras ipse tulísti,
et dolóres nostros portásti: Kýrie, eléison.

℟. *Kýrie, eléison.*

Qui pie misértus super turbam,
transísti benefaciéndo et sanándo infírmos: Christe, eléison.

℟. *Christe, eléison.*

Qui Apóstolis tuis mandásti,
ut super ægros manus impónerent: Kýrie, eléison.
℟. *Kýrie, eléison.*

305. Vel:

Pro fratre nostro infírmo et pro ómnibus qui ei curándo vel inserviéndo sunt addícti, Dóminum deprecémur.
℟. *Te rogámus, audi nos.*

— Ut hunc infírmum N. benígne respícias.
℟. *Te rogámus, audi nos.*

— Ut membris eius vigórem novum infúndas.
℟. *Te rogámus, audi nos.*

— Ut eius angóres mitigári concédas.
℟. *Te rogámus, audi nos.*

— Ut ómnibus infírmis grátia tua succúrras.
℟. *Te rogámus, audi nos.*

— Ut quotquot eis assístunt divíno róbore susténtes.
℟. *Te rogámus, audi nos.*

— Ut ei, cui in tuo nómine manus impónimus,
vitam et salútem donáre dignéris.
℟. *Te rogámus, audi nos.*

ORATIO BENEDICTIONIS

306. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, pro opportunitate, super omnes infirmos simul vel super singulos manus imponens, benedictionis orationem profert:

Dómine, Deus noster,
qui Fílium tuum in mundum misísti,
ut languóres nostros ipse perférret,

et dolóres nostros ipse portáret,
pro fámulis tuis infírmis
súpplices deprecámur,
ut patiéntia confirmáti et in sua spe refécti,
infirmitátem te benedicénte súperent
et próspera, te adiuvánte, sanitáte fruántur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

307. Vel, sine manuum impositione:

Te, Dómine,
qui pertransísti benefaciéndo et sanándo omnes
súpplices deprecámur,
ut hos fámulos tuos infírmos
benedícere ✠ dignéris:
da eis córporis fortitúdinem, stabilitátem ánimi,
tolerántiam dolórum, valetúdinis integritátem
ut fratrum cœtui restitúti,
te gaudéntes benedícant.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

308. Si minister est laicus, signo crucis singulos in fronte signans, benedictionis orationem profert:

In dilectióne tua salva nos, Dómine, Deus noster,
qui factúram tuam multíplici semper pietáte custódis;
et hos fámulos tuos infírmos
déxtera tua érige, divína virtúte confírma;
medélam ádhibe, sana languóres
ut quod a te solácium exspéctant
felíciter consequántur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

309. Vel, pro uno infirmo:

Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
qui condiciónis nostræ fragilitátem
tua benedictióne érigis atque confírmas,
super hunc fámulum tuum N. propitiátus inténde,
ut infirmitáte pénitus detrúsa,
et valetúdine íntegre reparáta,
nomen sanctum tuum memor gratúsque benedícat.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

310. Post orationem benedictionis, minister omnes adstantes invitat ad invocandam b. Mariæ Virginis protectionem, quod opportune fit recitatione vel cantu antiphonæ marialis, v. gr. *Sub tuum præsidium* vel *Salve Regina* (cf. App. nn. 1-4).

Conclusio ritus

311. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, ad infirmos conversus, ritum concludit, dicens:

Benedícat vos (te) Deus Pater.

℟. Amen.

Sanet vos (te) Dei Fílius.

℟. Amen.

Illúminet vos (te) Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

Denique omnes adstantes benedicit, addens:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

312. Si vero minister est laicus, super infirmos omnesque adstantes benedictionem Domini implorat, ac seipsum signans, dicit:

Dóminus Iesus,
qui pertránsiit benefaciéndo et sanándo omnes infírmos,
in bona valetúdine nos custodíre
et sua nos benedictióne cumuláre dignétur.

℟. Amen.

B. PRO PUERIS

313. Pro benedictione puerorum infirmorum textus qui supra indicantur eorum condicioni sunt aptandi. Hic preces proponuntur et peculiaris exhibetur oratio benedictionis.

Preces

314. Intercessionibus quæ infra proponuntur minister alias adicere potest, quæ peculiaria rerum adiuncta vel infirmorum condiciones respiciant:

Dóminum Iesum, qui párvulos peculiári amóre díligit atque custódit, pro his púeris deprecémur dicéntes:

℟. *Custódi eos in ómnibus viis suis.*

Qui párvulos ad te ádvocans,
tálium esse dixísti regnum cælórum,
oratiónem nostram pro his púeris cleménter exáudi. ℟.

Qui non sapiéntibus et prudéntibus,
sed párvulis mystéria regni dixísti esse reveláta,
his púeris amóris tui signum manifestáre dignéris. ℟.

Qui pueríle decus libénter excepísti,
cum tibi passúro prompsit hosánna pium,

hos púeros eorúmque paréntes
tua sancta consolatióne confírma. ℟.

Qui discípulis tuis commisísti,
ut infirmórum curam habérent,
ómnibus, qui horum puerórum valetúdini reparándæ
álacrem præstant óperam,
adésto benígnus. ℟.

ORATIO BENEDICTIONIS

315. Minister, si est sacerdos vel diaconus, pro opportunitate super omnes pueros infirmos simul vel super singulos manus imponens, benedictionis orationem profert:

Dómine, Deus noster,
cuius Fílius Iesus Christus
púeros libénter suscépit et benedíxit,
super hos fámulos tuos (N. et N.)
in ténera ætáte languéntes,
déxteram tuam benígnus exténde,
quátenus, vigóre sanitátis recépto
et Ecclésiæ tuæ sanctæ suísque paréntibus
incólumes restitúti,
gratiárum tibi réferant actiónes.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

316. Si minister est laicus, et præsertim cum pater vel mater filium infirmum benedicunt, signo crucis singulos in fronte signans, orationem benedictionis profert.

Pater misericordiárum
et Deus totíus consolatiónis
qui, creatúræ tuæ multíplici pietáte
consúlere dignáris

et ánimæ et córpori salútem benígnus infúndis:
hos párvulos (N. et N.)
(hunc párvulum N.)
(fílium quem mihi donásti)
ab ægritúdine erígere dignéris,
ut cunctis vitæ diébus,
grátia et sapiéntia coram te et homínibus profíciens,
in iustítia et sanctitáte tibi sérviat,
et débitas misericórdiæ tuæ réferat gratiárum actiónes.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

II. RITUS BREVIOR

317. Minister dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

Omnes respondent:

℟. Qui fecit cælum et terram.

318. Tunc ab uno ex adstantibus vel ab ipso ministro legitur textus Sacræ Scripturæ, v. gr.:

2 Cor 1, 3-4: Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra, ut possímus et ipsi consolári eos, qui in omni pressúra sunt.

Mt 11, 28-29: Veníte ad me, omnes, qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite iugum meum super vos et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde, et inveniétis réquiem animábus vestris.

319. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, pro opportunitate super infirmum manus imponens vel si est laicus signo crucis eum in fronte signans, benedictionis orationem profert:

Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
qui condiciónis nostræ fragilitátem
tua benedictióne érigis atque confírmas,
super hunc fámulum tuum N. propitiátus inténde,
ut infirmitáte pénitus detrúsa,
et valetúdine íntegre reparáta,
nomen sanctum tuum memor gratúsque benedícat.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

FORMULA BREVIS

320. Pro opportunitate sacerdos vel diaconus adhibere potest formulam brevem benedictionis:

Ipse te, N., benedícat ✠,
qui solus est Dóminus ac Redémptor,
corpus tuum custódiat
ánimam tuam salvet,
et ad vitam te perdúcat ætérnam.

℟. Amen.

CAPUT III

ORDO BENEDICTIONIS EORUM QUI AD EVANGELIUM NUNTIANDUM MITTUNTUR

PRÆNOTANDA

321. Cum Christi discipuli — clerici, religiosi, laïci — a legitimis Ecclesiæ pastoribus ad salutis mysterium gentibus prædicandum mittuntur, ritum valde convenit celebrari quo benedictio Dei in novos Evangelii præcones imploretur, fideles autem de missionariæ actuositatis natura ac vi moneantur atque excitentur ut orationibus illos prosequantur qui, peculiari charismate præditi, ad Evangelium nuntiandum sunt profecturi.

322. Ritus benedictionis convenienter peragitur vel in apta celebratione verbi vel in Eucharistiæ celebratione, ut infra indicatur.

323. Ordines, qui hic præbentur, adhiberi possunt a presbytero, qui, ritus structura et potioribus elementis servatis, missionariorum et locorum adiunctis celebrationem aptabit. Si ritui laudabiliter præest Episcopus, omnia opportune aptentur.

I. ORDO BENEDICTIONIS IN CELEBRATIONE VERBI

RITUS INITIALES

324. Populo congregato, celebrans, diaconus et ministri, sua quisque veste indutus, præcedentibus crucifero et diacono librum Evangeliorum ferente, e secretario per aulam ecclesiæ ad presbyterium pergunt, dum schola cum populo cantat aptum cantum.

325. Processioni intersunt ii qui ad Evangelium nuntiandum sunt profecturi.

326. Cantu expleto, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

327. Deinde celebrans adstantes salutat dicens:

Dóminus, qui vos de ténebris vocávit
in admirábile lumen suum,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacra Scriptura præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

328. Deinde celebrans adstantes breviter alloquitur ut eorum animos ad celebrationem disponat et ritus illustret, quod facere potest his vel similibus verbis.

Fratres caríssimi, celebratiónem hanc vos hódie participántes, primævæ Ecclésiæ agéndi modum aliquómodo renovátis, cum ipsa gaudens ad fratres in fide vel Christum nondum agnoscéntes adiuvándos e fíliis suis nonnúllos in céteros pópulos mittébat.
Istórum fratrum ac sorórum míssio in divérsa loca propter Ecclésiæ necessitátes íntima reddat nostræ coniunctiónis víncula cum illis Ecclésiis particuláribus; quæ vero únio iam nunc in oratióne manifestátur.

329. Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc celebrans prosequitur:

Deus, qui omnes hómines vis salvos fíeri
et ad agnitiónem veritátis veníre,

réspice messem tuam multam
et operários in eam míttere dignéris,
ut omni creatúræ Evangélium prædicétur,
et plebs tua, verbo vitæ congregáta
et sacramentórum virtúte suffúlta,
in via salútis et caritátis procédat.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

LECTIO VERBI DEI

330. Deinde leguntur a lectoribus vel diacono unus vel plures Sacræ Scripturæ textus, ex iis qui in Lectionario pro evangelizatione populorum proponuntur,[15] interiectis congruentibus psalmis responsoriis vel intervallis silentio peragendis. Lectio autem Evangelii principem locum obtineat.

331. Antequam Evangelium proclametur, valde convenit ut missionarii fidelibus præsententur, modo sequenti: diaconus nuntiat eorum nomina, indicans, si opportunum videtur, gradum vel officium quod in Populo Dei habent necnon Ecclesiam ad quam mittuntur, v. gr.:

Hæc sunt nómina eórum,
quos Ecclésia nostra N.,
iuxta mandátum Dómini,
ad Evangélium nuntiándum mittit
et suis comitátur oratiónibus:

N. N., présbyter,
ad Ecclésiam quæ est in regióne N.

N. N., diáconus,
ad Ecclésiam quæ est in regióne N.

[15] Cf. *Missale Romanum,* Ordo Lectionum Missæ, nn. 872-876.

N. N., religiósus (religiósa),
ex Institúto N.
ad Ecclésiam quæ est in regióne N.

N. N., láicus,
ad servítium Ecclésiæ quæ est in regióne N.

332. Si vero inter missionarios profecturos adsunt religiosi vel religiosæ, loco diaconi, superior vel antistita Instituti eorum nomina et munera necnon locum quo mittuntur fidelibus nuntiat, dicens, v. gr.:

Ex nostro Institúto N.,
caritáte impúlsi et obœdiéntia confirmáti,
ad Evangélium nuntiándum proficiscúntur:

frater N., (v. gr. catechísta), ad regiónem N.

soror N., (v. gr. infirmórum curæ addícta), in pagum N.

---

333. Diacono vocanti missionarii respondent aptis verbis (v. gr. Adsum) vel signo aliquo (v. gr. surgendo).

334. Lecto Evangelio, celebrans homiliam habet, in qua tum lectiones biblicas tum sensum ritus illustrat.

335. Expleta homilia, missionarii surgunt, ad celebrantem accedunt et ita se disponunt ut ritus ab omnibus aspici possit.

Preces

336. Sequitur prex communis, in qua omnes rogant tum pro missionariis profecturis tum pro Ecclesiis ad quas mittuntur. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur, vel alias adicere quæ peculiaria rerum et missionariorum adiuncta respiciunt.

Deum Patrem miserentíssimum precémur, qui Fílium suum unxit Spíritu Sancto ad evangelizándos páuperes, contrítis corde medéndum et omnes lugéntes consolándos. Fidénter dicámus.

℟. *Sit laus tua in pópulo tuo, Dómine.*

Mísericors sempitérne Deus,
qui vis omnes hómines salvos fíeri,
et ad agnitiónem veritátis perveníre,
— tibi grátias ágimus, qui Unigénitum tuum
mundo dedísti, Magístrum et Redemptórem. ℟.

Qui Iesum Christum misísti evangelizáre paupéribus,
nuntiáre captívis remissiónem et prædicáre tempus grátiæ:
— Ecclésiam tuam exténde
ut hómines ex omni lingua et natióne amplectátur. ℟.

Qui omnes hómines vocas
de ténebris in admirábile lumen tuum,
ut in nómine Iesu omne genu flectátur
cæléstium, terréstrium et infernórum,
— fac nos testes veros Evangélii salútis. ℟.

Cor rectum ac sincérum dona nobis
ad audiéndum verbum tuum,
— et in nobis et in mundo
abundantióres éxhibe fructus sanctitátis. ℟.

ORATIO BENEDICTIONIS

337. Celebrans, pro opportunitate, super missionarios profecturos una simul manus imponens, benedictionis orationem immediate subiungit:

Te Deum benedícimus atque laudámus,
quia ineffábili misericórdiæ tuæ consílio
Fílium tuum in mundum misísti,

ut hómines a captivitáte peccáti
effúso sánguine liberáret,
et Spíritus Sancti donis impléret.
Qui morte devícta,
ántequam ad te, Pater, ascénderet,
Apóstolos misit sui amóris suǽque vicários potestátis,
ut cunctis géntibus Evangélium vitæ nuntiárent
et credéntes unda ablúerent salutári.
Réspice ergo, quǽsumus, Dómine,
hos fámulos tuos, quos signo crucis instrúctos,
núntios míttimus salútis et pacis.
Déxtera tua, Dómine, eórum dírige gressus,
animósque grátiæ tuæ róbora virtúte,
ne labóre fatigáti defíciant.
Fac ut eórum verba Christi résonent vocem,
ut qui eos audíerint ad obœdiéntiam trahántur Evangélii.
In eórum corda Spíritum Sanctum benígnus infúnde,
ut, ómnia ómnibus facti,
multos ad te, Pater, addúcant,
qui in sancta Ecclésia te sine fine colláudent.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Traditio crucis

338. Tunc celebrans cruces benedicit, dicens:

Dómine, sancte Pater,
qui crucem Fílii tui
fontem ómnium benedictiónum
omniúmque causam gratiárum
fíeri voluísti,
benedícere dignáre has cruces
et præsta,

ut qui eas coram homínibus gestáverint,
in Fílii tui imáginem
stúdeant transformári.
Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

339. Deinde missionarii ad celebrantem singuli accedunt, qui eis tradit crucem, dicens:

Accipe hoc caritátis Christi
et fídei nostræ signum.
Christum prǽdica eúmque crucifíxum,
Dei virtútem et Dei sapiéntiam.

Missionarius respondet:

Amen.

Crucem accipit, eam osculatur et ad locum suum revertitur.

---

340. Pro opportunitate, celebrans formulam traditionis crucis semel pro omnibus pronuntiat, elata voce dicens:

Accípite hoc caritátis Christi
et fídei nostræ signum.
Christum prædicáte eúmque crucifíxum,
Dei virtútem et Dei sapiéntiam.

vel:

Accípite crucem, signum caritátis Christi
et missiónis ad quam vos elégit Ecclésia.

Missionarii omnes simul respondent:

Amen.

Et ad celebrantem accedunt crucem recepturi.

CONCLUSIO RITUS

341. Tum celebrans ritum concludit. Post invitatorium: Inclináte vos ad benedictiónem, vel aliud, ad missionarios conversus, manibus extensis, dicit:

Deus, qui in Christo veritátem
et caritátem suam manifestávit,
fáciat vos núntios Evangélii
et amóris sui testes in mundo.

℟. Amen.

Dóminus Iesus, qui Ecclésiæ suæ promísit
se ei adfutúrum usque ad sǽculi consummatiónem,
gressus vestros dírigat et verba confírmet.

℟. Amen.

Spíritus Dómini sit super vos,
ut, itínera mundi peragrántes,
evangelizáre valeátis paupéribus,
et sanáre contrítos corde.

℟. Amen.

Denique celebrans universum populum benedicit:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes:

Amen.

342. Laudabiliter apto cantu ritus perficitur.

II. ORDO BENEDICTIONIS CELEBRATIONI MISSÆ CONIUNCTÆ

343. Quando benedictio peragitur intra Missæ celebrationem, in Missæ formulario eligendo hæc serventur:

a) in sollemnitatibus et in dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ dicitur Missa diei;

b) in dominicis Temporis Nativitatis, Temporis per annum, in festis et in memoriis dicitur vel Missa diei vel Missa pro evangelizatione populorum.

344. Si ritui præest Episcopus, omnia opportune aptentur.

345. In Liturgia verbi omnia fiunt more solito, præter hæc:

a) iuxta rubricas, lectiones vel e Missa diei vel e Missa pro evangelizatione populorum sumuntur;[16]

b) antequam Evangelium proclametur, valde convenit ut missionarii fidelibus præsententur, modo qui infra describitur.

346. Expleta secunda lectione, diaconus nuntiat fidelibus nomina eorum qui sunt profecturi, indicans, si opportunum videtur, gradum vel officium quod in Populo Dei habent necnon Ecclesiam ad quam mittuntur, v. gr.:

Hæc sunt nómina eórum,
quos Ecclésia nostra N,
iuxta mandátum Dómini,
ad Evangélium nuntiándum mittit
et suis comitátur oratiónibus:

N. N., présbyter,
ad Ecclésiam quæ est in regióne N.

N. N., diáconus,
ad Ecclésiam quæ est in regióne N.

[16] *Missale Romanum,* Ordo Lectionum Missæ, nn. 872-876.

N. N., religiósus (religiósa),
ex Institúto N.
ad Ecclésiam quæ est in regióne N.

N. N., láicus,
ad servítium Ecclésiæ quæ est in regióne N.

---

347. Si vero inter missionarios profecturos adsunt religiosi vel religiosæ, loco diaconi, superior vel antistita Instituti eorum nomina et munera necnon locum quo mittuntur fidelibus nuntiat, dicens, v. gr.:

Ex nostro Institúto N.,
caritáte impúlsi et obœdiéntia confirmáti,
ad Evangélium nuntiándum proficiscúntur:

frater N., (v. gr. catechísta), ad regiónem N.,

soror N., (v. gr. infirmórum curæ addícta), in pagum N.

---

348. Diacono vocanti missionarii respondent aptis verbis (v. gr. Adsum) vel signo aliquo (v. gr. surgendo).

349. Lectio Evangelii fit ab uno e diaconis vel e presbyteris in missiones profecturis.

Dum canitur Versus ad Evangelium, celebrans incensum imponit; deinde, omissa consueta diaconi benedictione, dicit elata voce diacono omnibusque missionariis:

Evangélium quod in hac aula Dei proclamátur,
verbis et vita géntibus nuntiáte,
ut eis Christi et Ecclésiæ reserétur mystérium.

vel alia apta verba.

Diaconus et missionarii profecturi respondent:

Amen.

350. Lecto Evangelio, celebrans homiliam habet, in qua tum lectiones biblicas tum sensum ritus illustrat.

ORATIO BENEDICTIONIS

351. Post homiliam omnes surgunt. Missionarii profecturi accedunt ad celebrantem et coram eo sistunt, ita ut ritus a fidelibus conspici possit. Celebrans, manus una simul super eos imponens, dicit:

Te Deum benedícimus atque laudámus,
quia ineffábili misericórdiæ tuæ consílio
Fílium tuum in mundum misísti,
ut hómines a captivitáte peccáti
effúso sánguine liberáret,
et Spíritus Sancti donis impléret.
Qui morte devícta,
ántequam ad te, Pater, ascénderet,
Apóstolos misit sui amóris suǽque vicários potestátis,
ut cunctis géntibus Evangélium vitæ nuntiárent
et credéntes unda ablúerent salutári.
Réspice ergo, quǽsumus, Dómine,
hos fámulos tuos, quos signo crucis instrúctos,
núntios míttimus salútis et pacis.
Déxtera tua, Dómine, eórum dírige gressus,
animósque grátiæ tuæ róbora virtúte,
ne labóre fatigáti defíciant.
Fac ut eórum verba Christi résonent vocem,
ut qui eos audíerint ad obœdiéntiam trahántur Evangélii.
In eórum corda Spíritum Sanctum benígnus infúnde
ut, ómnia ómnibus facti,
multos ad te, Pater, addúcant,
qui in sancta Ecclésia te sine fine colláudent.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

TRADITIO CRUCIS

352. Tunc celebrans cruces benedicit, dicens:

Dómine, sancte Pater,
qui crucem Fílii tui
fontem ómnium benedictiónum
omniúmque causam gratiárum
fíeri voluísti,
benedícere dignáre has cruces
et præsta,
ut qui eas coram homínibus gestáverint,
in Fílii tui imáginem
stúdeant transformári.
Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

353. Deinde missionarii ad celebrantem singuli accedunt, qui eis tradit crucem, dicens:

Accipe hoc caritátis Christi
et fídei nostræ signum.
Christum prǽdica eúmque crucifíxum,
Dei virtútem et Dei sapiéntiam.

Missionarius respondet:

Amen.

Crucem accipit, eam osculatur et ad locum suum revertitur.

---

354. Pro opportunitate, celebrans formulam traditionis crucis semel pro omnibus pronuntiat, elata voce dicens:

Accípite hoc caritátis Christi
et fídei nostræ signum.

Christum prædicáte eúmque crucifíxum,
Dei virtútem et Dei sapiéntiam.

vel:

Accípite crucem, signum caritátis Christi
et missiónis ad quam vos elégit Ecclésia.

Missionarii omnes simul respondent:

Amen.

Et ad celebrantem accedunt crucem recepturi.

---

355. Interea cani potest antiphona (cf. App. n. 5):

Annuntiáte
de die in diem salutáre eius.

cum Psalmo 95 (96), vel alius aptus cantus.

356. Sequitur communis prex, in qua fit quoque precatio tum pro missionariis profecturis tum pro Ecclesiis ad quas mittuntur.

357. Dum cantus ad offertorium canitur, nonnulli missionarii profecturi ad altare opportune afferunt panem, vinum, aquam pro Missæ celebratione.

358. Si opportunum videtur, postquam celebrans dixit *Pax Dómini,* missionarii ad altare singuli accedunt pacem ab eo recepturi.

359. Postquam celebrans Corpus et Sanguinem sumpsit, missionarii profecturi ad altare accedunt, communionem sub utraque specie recepturi.

CONCLUSIO RITUS

360. Nisi Missa propriam benedictionem sollemnem habeat, hæc formula adhiberi potest. Celebrans dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Deinde diaconus, pro opportunitate, populum ad benedictionem accipiendam invitat his vel similibus verbis:

Inclináte vos ad benedictiónem.

Tum celebrans, manibus super missionarios extensis, eos benedicit, dicens:

Deus, qui in Christo veritátem
et caritátem suam manifestávit,
fáciat vos núntios Evangélii
et amóris sui testes in mundo.

℟. Amen.

Dóminus Iesus, qui Ecclésiæ suæ promísit
se ei adfutúrum usque ad sǽculi consummatiónem,
gressus vestros dírigat et verba confírmet.

℟. Amen.

Spíritus Dómini sit super vos,
ut, itínera mundi peragrántes,
evangelizáre valeátis paupéribus,
et sanáre contrítos corde.

℟. Amen.

Denique celebrans universum populum benedicit:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes:

Amen.

CAPUT IV

ORDINES BENEDICTIONIS AD CATECHESIM ET ORATIONEM COMMUNEM SPECTANTES

I. ORDO BENEDICTIONIS EORUM QUI AD CATECHESIM FACIENDAM DEPUTANTUR

PRÆNOTANDA

361. Ritus benedictionis eorum qui in Ecclesia locali ad catechesim faciendam deputantur, convenienter peragitur vel in apta celebratione verbi vel in Eucharistiæ celebratione, ut infra indicatur.

362. Ordo, qui hic præbetur, adhiberi potest tum a sacerdote tum a diacono, qui, ritus structura et potioribus elementis servatis, locorum adiunctis celebrationem aptabunt.

A. ORDO BENEDICTIONIS IN CELEBRATIONE VERBI

RITUS INITIALES

363. Communitate congregata, convenienter fit cantus aptus, quo completo, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

364. Deinde celebrans adstantes salutat dicens:

Deus Pater misericordiárum
qui vult omnes hómines salvos fíeri,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacra Scriptura præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

365. Deinde celebrans adstantes breviter alloquitur ut eorum animos ad celebrationem disponat et ritum illustret, quod facere potest his vel similibus verbis:

Actio pastorális Ecclésiæ plurimórum índiget cooperatióne, ut communitátes et sínguli christifidéles ad fídei maturitátem possint perveníre, et fidem ipsam celebratióne, stúdio ac vitæ testimónio iúgiter annúntient.
Cooperátio huiúsmodi præbétur ab eis, qui se impéndunt in catechésim tradéndam, initiatiónem faciéntes necnon eruditiónem atque institutiónem céteris impertiéntes de iis, quæ verbo Dei et Ecclésiæ doctrína illumináti ipsi vivénda ac celebránda didicérunt.
Pro istis cooperatóribus nostris Dóminum nunc benedícimus atque super eos Spíritus Sancti grátiæ fluxum implorámus, qua índigent in ecclesiáli servítio exsequéndo.

Lectio verbi Dei

366. Deinde lector, vel unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit textum Sacrarum Scripturarum, ex iis potissimum selectum qui in Lectionario pro evangelizatione populorum proponuntur,[17] vel pro ministris Ecclesiæ,[18] vel:

Rom 10, 9-15 « *Quam speciosi pedes evangelizantium bona* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Romános.

Si confiteáris in ore tuo: « Dóminum Iesum! », et in corde tuo credíderis quod Deus illum excitávit ex mórtuis, salvus eris.

[17] *Missale Romanum,* Ordo Lectionum Missæ, nn. 872-876.
[18] *Ibid.,* nn. 848-851.

Corde enim créditur ad iustítiam, ore autem conféssio fit in salútem. Dicit enim Scriptúra: « Omnis, qui credit in illo, non confundétur ». Non enim est distínctio Iudǽi et Græci, nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes, qui ínvocant illum: Omnis enim, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt nisi mittántur? Sicut scriptum est: « Quam speciósi pedes evangelizántium bona ».

367. Pro opportunitate, dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 95 (96), 1-2a. 2b-3. 7-8a. 10

℟. (3) *Annuntiáte in ómnibus pópulis mirabília Dómini.*

368. Celebrans, pro opportunitate adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

Preces

369. Sequitur prex communis. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum vel adstantium adiuncta respiciant.

Deus omnes hómines vult salvos fíeri.
Ideo eum sic deprecémur:

℟. *Trahe omnes ad te, Dómine.*

Fac ut gentes cognóscant te, Patrem, solum verum Deum esse,
— et Iesum Christum Fílium tuum, quem misísti. ℟.

Mitte operários in messem tuam,
— ut magnificétur nomen tuum in géntibus. ℟.

Qui discípulos misísti ad Evangélium prædicándum,
— nos ádiuva ut victóriam Crucis extendámus. ℟.

Fac nos dóciles prædicatióni Apostolórum,
— et confórmes veritáti fídei nostræ. ℟.

Qui nos hódie ad tuum servítium vocas erga fratres,
— veritátis tuæ minístros fac nos esse. ℟.

Minístros sanctæ Ecclésiæ tuæ serva,
— ut cum álios docuérimus
fidéles in tuo servítio inveniámur. ℟.

Spíritus Sancti grátia dírigat corda et lábia nostra,
— ut in tuo amóre et laude semper maneámus. ℟.

ORATIO BENEDICTIONIS

370. Tum celebrans, manibus extensis, benedictionis orationem profert:

Hos, Dómine, fámulos tuos
qui in catechésim tradéndam
se impéndere præóptant,
patérna tua benedictióne ✠
in suo propósito confirmáre dignéris:
ut quæ in verbo tuo meditándo
et in Ecclésiæ doctrína persolvénda didícerint
fratres suos sátagant edocére
tibíque cum illis alácriter deservíre.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

CONCLUSIO RITUS

371. Tum celebrans, ad catechistas conversus, ritum concludit, dicens:

Deus, qui in Christo veritátem
et caritátem suam manifestávit,
fáciat vos Evangélii et amóris sui testes in mundo.
℟. Amen.

Dóminus Iesus, qui Ecclésiæ suæ promísit
se ei adfutúrum usque ad sǽculi consummatiónem,
ópera vestra et verba confírmet.

℟. Amen.

Spíritus Dómini sit super vos,
ut adiuváre valeátis
verbi sui minístros.

℟. Amen.

Denique omnes adstantes benedicit, dicens:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

372. Laudabiliter ritus apto cantu perficitur.

B. ORDO BENEDICTIONIS CELEBRATIONI MISSÆ CONIUNCTÆ

373. Secundum rubricas, si opportunum videtur, adhibetur Missa pro Laicis, cum lectionibus in Lectionario propositis.[19]

374. Post lectionem Evangelii, celebrans in homilia e textu sacro exponat sensum celebrationis, attentis tamen diversis locorum et personarum adiunctis.

375. Sequitur prex communis, modo in Missæ celebratione consueto vel modo qui hic proponitur; quam orationem celebrans concludit formula benedictionis, nisi opportunius videatur hanc formulam in fine celebrationis Missæ adhibere, tamquam orationem super populum. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum vel locorum adiuncta respiciant.

[19] Cf. *Missale Romanum,* Ordo Lectionum Missæ, nn. 826-866.

Deus omnes hómines vult salvos fíeri.
Ideo eum sic deprecémur:

℟. *Trahe omnes ad te, Dómine.*

Fac ut gentes cognóscant te, Patrem, solum verum Deum esse,
— et Iesum Christum Fílium tuum, quem misísti. ℟.

Mitte operários in messem tuam,
— ut magnificétur nomen tuum in géntibus. ℟.

Qui discípulos misísti ad Evangélium prædicándum,
— nos ádiuva ut victóriam Crucis extendámus. ℟.

Fac nos dóciles prædicatióni Apostolórum,
— et confórmes veritáti fídei nostræ. ℟.

Qui nos hódie ad tuum servítium vocas erga fratres,
— veritátis tuæ minístros fac nos esse. ℟.

Minístros sanctæ Ecclésiæ tuæ serva,
— ut cum álios docuérimus
fidéles in tuo servítio inveniámur. ℟.

Spíritus Sancti grátia dírigat corda et lábia nostra,
— ut in tuo amóre et laude semper maneámus. ℟.

376. Celebrans profert orationem, manibus extensis, dicens:

Hos, Dómine, fámulos tuos
qui in catechésim tradéndam
se impéndere præóptant,
patérna tua benedictióne ✠
in suo propósito confirmáre dignéris:
ut quæ in verbo tuo meditándo
et in Ecclésiæ doctrína persolvénda didícerint
fratres suos sátagant edocére
tibíque cum illis alácriter deservíre.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

377. Si vero opportunius videtur, oratio benedictionis adhiberi potest in fine celebrationis Missæ, post invitatorium:

Inclináte vos ad benedictiónem.

vel aliud.

Post orationem benedictionis, celebrans semper subdat:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes respondent:

Amen.

II. ORDO BENEDICTIONIS PRO CŒTU AD CATECHESIM VEL ORATIONEM FACIENDAM CONGREGATO

PRÆNOTANDA

378. Cum christifideles vel catechumeni in nomine Christi conveniunt in unum, in illo cœtu congregato, iuxta verbum Domini, ipse Christus præsens adest. De quo sponte venit ut a cordibus cœtum participantium preces benedictionis ad Christum fundantur, una cum divini auxilii invocatione ad illud obtinendum, propter quod conventus factus est. Idipsum peculiari modo evenit in cœtibus ad catechesim vel orationem faciendam congregatis; sed etiam in diversi generis conventibus opportunum est ut iidem initium capiant ab oratione liturgica et saltem quoddam spatium temporis ad istam peragendam reservent.

Hac ratione Institutio generalis de Liturgia Horarum (cf. n. 27) laicorum cœtus ubivis congregatos invitat ut in adunationibus quacumque de causa faciendis (orationis, apostolatus aliusve rationis) Ecclesiæ Officium expleant, Liturgiæ Horarum partem celebrantes: « oportet enim discant præprimis in actione liturgica Deum Patrem in spiritu et veritate adorare (cf. Io 4, 23) », memores « se cultu publico et oratione omnes homines attingere et ad totius mundi salutem non paulum conferre posse ».

Si autem hoc fieri nequit, attenta adiunctorum varietate, congruum videtur cœtum inire Spiritum Sanctum benedictionemque Domini invocando hymno *Veni creátor* (cf. App. n. 6) vel antiphona *Veni Sancte Spíritus* (cf. App. n. 7) aut alio cantu apto atque, post brevem lectionem biblicam opportune selectam, orationem concludere una e collectis Missalis Romani, præsertim deprompta e Missis de Spiritu Sancto vel e Missa hebdomadæ VII temporis paschalis vel e Missa pro conventu spiritali vel pastorali.

379. In fine adunationis vero haberi potest celebratio benedictionis cum oratione benedictionis, quæ a præside profertur, modo quo sequitur.

380. Oratio benedictionis omittitur quando illas adunationes eucharistica sequitur celebratio.

381. Ordo, qui hic præbetur, adhiberi potest tum a presbytero, tum a diacono, tum etiam, ritibus pro ipso prævisis, a laico, qui omnes, ritus structura servata, locorum adiunctis celebrationem aptabunt.

ORDO BENEDICTIONIS

382. Ille qui præest adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

In hac nostra quam persólvimus adunatióne, Dóminus ipse locútus est nobis. Grátias ergo ei ágere debémus, qui mystérium abscónditum a sǽculis in Deo, nobis dignátus est reveláre. Nunc vero vitam nostram verbo quod audívimus conformári opórtet. Antequam ergo discedámus, mentem nostram ad Deum elevémus ut suo Spíritu nos ad pleniórem ducat veritátem et nos róboret ut quæ plácita sunt ei semper faciámus.

Preces

383. Ubi opportunum videtur, ante orationem benedictionis, prex communis haberi potest. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur,

ille qui præest seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

Verba quæ nobis Dóminus locútus est, spíritus et vita sunt: Eum ergo rogémus ut qui verba vitæ ætérnæ habet non auditóres tantum invéniat in nobis sed et factóres verbi, eiúsque veritátis cooperatóres. Dicámus ergo:

℟. *Lóquere, Dómine, verba vitæ habes!*

Christe, Fili Dei, qui in mundum venísti
ut Patris tui amórem homínibus nuntiáres,
— adáuge fidem nostram, ut verba tua,
tamquam signum patérnæ bonitátis recipiámus. ℟.

Christe, in quo Pater sibi bene complácuit,
mandans nobis ut te fidénter audiámus,
— da nobis intelléctum,
ut verba tua suáviter perscrutántes
eórum dulcédinem experíri valeámus. ℟.

Christe, qui beátum dixísti
quicúmque audit verbum Dei et custódit illud,
— concéde nobis ut verba tua cum María custodiéntes,
in corde nostro assídue conferámus. ℟.

Christe, qui verbo tuo mentis ténebras illústras
et intelléctum das párvulis,
— fac ut te in simplicitáte cordis audiéntes,
regni cælórum mystéria cognoscámus. ℟.

Christe, qui in Ecclésia verbum tuum proférre non désinis,
ut hómines univérsos illud audiéntes
una fides illúminet, cáritas una coniúngat,
— verbi tui amatóres et factóres nos in dies redde,
ut in illo cor unum et ánima una christiáni omnes simus. ℟.

Christe, qui in verbis tuis lucérnam pédibus
et lumen sémitis nostris præstitísti,

— fac, ut te audiéntes,
viam mandatórum tuórum dilatáto corde currámus. ℟.

Christe, qui verbum tuum protulísti
ut in salútem hóminum currat et glorificétur,
— verbis tuis ádeo nos replére dignéris
ut Evangélii præcónes nos exhibeámus et testes. ℟.

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

384. Quando Preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, minister, his vel similibus verbis, omnes ad orandum invitat, ut divinum exposcant auxilium:

Orémus, fratres caríssimi,
Deum Patrem omnipoténtem,
ut gressus nostros
in viam dírigat mandatórum suórum.

Et pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Sequitur oratio benedictionis.

Oratio benedictionis

385. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, manibus extensis, si est laicus, manibus iunctis, benedictionis orationem profert:

Grátias ágimus, Dómine, et benedícimus tibi,
qui multifáriam multísque modis
olim pátribus locútus in prophétis,
novíssime vero in Fílio tuo locútus es,
ut divítias grátiæ tuæ
ómnibus in ipso manifestáres:
tuam ergo benignitátem súpplices exorámus,
ut qui ad scrutándas Scriptúras convénimus,
agnitióne voluntátis tuæ repleámur

et digne tibi per ómnia placéntes,
in omni ópere bono fructificémus.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Conclusio ritus

386. Tum minister ritum concludit, dicens:

Deus Pater misericordiárum,
qui Verbum suum in mundum misit
per Spíritum suum omnem docéntem veritátem,
fáciat nos núntios Evangélii
et amóris sui testes in mundo.

℟. Amen.

387. Laudabiliter ritus cantu apto perficitur.

CAPUT V

ORDO BENEDICTIONIS CONSOCIATIONUM AD AUXILIUM IN PUBLICIS NECESSITATIBUS PRÆSTANDUM

PRÆNOTANDA

388. Fideliter Evangelio adhærens Ecclesia quidquid bonum in communitate humana invenitur sua actione fovet ac roborat.

Etsi totius populi Dei est fratrum miserias atque labores in publicis necessitatibus pro viribus allevare, valde tamen laudandæ sunt ac sustinendæ hominum consociationes, quæ dum efficacius ipsæ, collatis viribus, auxilium ferre possunt, alios quoque satagunt sibi asciscere adiutores ad magis idoneum adiumentum opportune præstandum.

389. Nomine vero consociationum ad auxilia in publicis necessitatibus præstanda hic intelleguntur consociationes ad infirmos in valetudinarium deducendos, ad incendia exstinguenda, ad aquarum inundationes decontinendas, etc., etiam si pars sint alicuius structuræ a publica auctoritate in communitate civili promotæ.

390. Ordo, qui hic præbetur, adhiberi potest tum a sacerdote tum a diacono, qui, ritus structura et potioribus elementis servatis, consociationis et locorum adiunctis celebrationem aptabunt.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

391. Sodalibus consociationis congregatis, opportune fit cantus aptus, quo expleto, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

392. Deinde celebrans adstantes salutat dicens:

Dóminus, qui pertránsiit benefaciéndo,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

393. Tum celebrans adstantes ad benedictionem accipiendam disponit, his vel similibus verbis:

Deus, qui cáritas est, caritátis suæ volens hómines esse partícipes, Fílium suum misit in mundum ut homínibus subveníret, eósque vel infírmos vel débiles vel rebus advérsis afflíctos léniter adiuváret; Christus autem tanto fratres suos est prosecútus amóre, ut sibi factum affírmans quidquid pro illis esset impénsum, hómines misericórdes Patris sui benedíctos vocavérit, eísque vitam ætérnam promíserit.
Super huius ergo consociatiónis sodáles, qui óperam suam in fratrum auxílium impéndere sibi propónunt, largam Dómini benedictiónem implorémus.

Lectio verbi Dei

394. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit textum Sacrarum Scripturarum. Seligatur autem textus qui fines consociationis melius respicere videatur.

Mt 25, 31-46 « *Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

In illo témpore dixit Iesus discípulis suis: « Cum vénerit

Fílius hóminis in glória sua, et omnes ángeli cum eo, tunc sedébit super thronum glóriæ suæ. Et congregabúntur ante eum omnes gentes; et separábit eos ab ínvicem, sicut pastor ségregat oves ab hædis, et státuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinístris. Tunc dicet Rex his, qui a dextris eius erunt: « Veníte, benedícti Patris mei; possidéte parátum vobis regnum a constitutióne mundi. Esurívi enim, et dedístis mihi manducáre; sitívi, et dedístis mihi bíbere; hospes eram, et collegístis me; nudus, et operuístis me; infírmus, et visitástis me; in cárcere eram, et venístis ad me ». Tunc respondébunt ei iústi dicéntes: « Dómine, quando te vídimus esuriéntem et pávimus, aut sitiéntem et dédimus tibi potum? Quando autem te vídimus hóspitem et collégimus, aut nudum et cooperúimus? Quando autem te vídimus infírmum aut in cárcere et vénimus ad te? ». Et respóndens Rex dicet illis: « Amen dico vobis: Quámdiu fecístis uni de his fratribus meis mínimis, mihi fecístis ». Tunc dicet et his, qui a sinístris erunt: « Discédite a me, maledícti, in ignem ætérnum, qui præparátus est diábolo et ángelis eius. Esurívi enim, et non dedístis mihi manducáre; sitívi, et non dedístis mihi potum; hospes eram, et non collegístis me; nudus, et non operuístis me; infírmus et in cárcere, et non visitástis me ». Tunc respondébunt et ipsi dicéntes: « Dómine, quando te vídimus esuriéntem aut sitiéntem aut hóspitem aut nudum aut infírmum vel in cárcere et non ministrávimus tibi? ». Tunc respondébit illis dicens: « Amen dico vobis: Quámdiu non fecístis uni de mínimis his, nec mihi fecístis ». Et ibunt hi in supplícium ætérnum, iústi autem in vitam ætérnam ».

395. Vel:

Is 58, 1ab. 5-11 *Frange esurienti panem tuum.*

Audíte, fratres, verba Isaíæ prophétæ.

Clama fórtiter, ne cesses; quasi tuba exálta vocem tuam. Numquid tale est ieiúnium, quod elégi, dies, quo homo afflí-

git ánimam suam? Numquid contorquére quasi iúncum caput suum et saccum et cínerem stérnere? Numquid istud vocábis ieiúnium et diem acceptábilem Dómino? Nonne hoc est ieiúnium, quod elégi: dissólvere víncula iníqua, sólvere funes iúgi, dimíttere eos, qui confrácti sunt, líberos, et omne iúgum dirúmpere? Nonne frángere esuriénti panem tuum et egénos, vagos indúcere in domum? Cum víderis nudum, óperi eum et carnem tuam ne despéxeris. Tunc erúmpet quasi auróra lumen tuum, et sanátio tua cítius oriétur; et anteíbit fáciem tuam iustítia tua, et glória Dómini cólliget te. Tunc invocábis, et Dóminus exáudiet, clamábis, et dicet: « Ecce adsum ». Si abstúleris de médio tui iúgum et desíeris exténdere dígitum et loqui iniquitátem, si effúderis esuriénti ánimam tuam et ánimam afflíctam satiáveris, oriétur in ténebris lux tua, et calígo tua erit sicut merídies. Et te ducet Dóminus semper, et satiábit in locis áridis ánimam tuam et ossa tua firmábit; et eris quasi hortus irríguus et sicut fons aquárum, cuius non defícient aquæ.

396. Vel:

Tob 12, 6-13 « *Bonum facite, et malum non inveniet vos* ».
Dixit ángelus Dómini Thobi et fílio eius: « Deum benedícite ... ».

Sir 3, 33 — 4, 11 « *Animam esurientem ne contristaveris* ».
Ignem ardéntem exstínguit aqua ...

Sir 7, 36-39 « *Non desis plorantibus in consolatione* ».
Páuperi pórrige manum tuam ...

Mc 2, 1-12 « *Venerunt ad Iesum ferentes paralyticum, qui a quattuor portabatur* ».
Iterum intrávit Iesus Caphárnaum ...

Lc 10, 25-37 « *Quis est meus proximus?* ».
Ecce quidam legis perítus surréxit tentans Iesum dicens ...

Io 13, 12-17 « *Et vos debetis alter alterius lavare pedes* ».
Postquam lavit Iesus pedes discipulórum suórum ...

397. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 33 (34), 2-3. 4-5. 6-7. 10-11. 12-13
℟. (9a) *Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus.*

Ps 102 (103), 1-2. 3-4. 11-12. 13-14. 17-18
℟. (8) *Miserátor et misericors Dóminus,*
longánimis et multæ misericórdiæ.

398. Celebrans pro opportunitate adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

399. Ubi opportunum videtur, ante orationem benedictionis, prex communis haberi potest. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria sodalium vel rerum adiuncta respiciant.

Christus Dóminus, languóres nostros ipse ferens, ærúmnas nostras et nostros ipse portans dolóres, pertránsiit benefaciéndo nobis relínquens exémplum, ut eius vestígia sequámur. In eius ergo caritáte fundáti, ipsum deprecémur dicéntes:

℟. *Doce nos, Dómine, frátribus inservíre.*

Qui propter nos egénus factus,
non ministrári sed ministráre venísti,
— da ut et nos fratres diligámus
eósque in necessitátibus adiuvémus. ℟.

Qui mundum, redemptióne tua, novum effecísti,
in quo hómines sibi ínvicem próximi fíerent,
et inter se dilígerent,
— da ut et nos ad evangélicam vivéndi ratiónem
instaurándam alácriter laborémus. ℟.

Qui omnes hómines
bonórum tuórum vis esse partícipes,
— multos súscita in pópulo tuo,
qui caritáte tua urgénte,
egénis miserísque iuvándis,
se libénter addícant. ℟.

Qui Maríam matrem tuam,
matrem quoque nostram esse voluísti,
— fac ut sub eius præsídium confugiéntes,
adiutrícem nobis cǽlitus datam
iúgiter sentiámus. ℟.

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

400. Quando Preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, celebrans, his vel similibus verbis, omnes ad orandum invitat, ut divinum exposcant auxilium:

Orémus, fratres dilectíssimi,
Deum qui cáritas est,
ut Spíritus sui ardóre nos inflammáre dignétur
et mútua fáciat dilectióne fervéntes
sicut Christus diléxit nos.

Et pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Sequitur oratio benedictionis.

ORATIO BENEDICTIONIS

401. Tum celebrans, extensis manibus, subiungit:

Benedíctus es, Dómine, Deus misericordiárum,
qui nobis in Fílio tuo admirábile caritátis exémplum dedísti
et per eum mandátum dilectiónis eníxe commendásti:
hos fámulos tuos,
qui ad fratres adiuvándos se generóse condónant,

benedictiónibus tuis ✠ cumuláre dignéris,
ut, necessitátibus urgéntibus,
toto ánimo totísque víribus,
fidéliter tibi in próximis adminístrent.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

CONCLUSIO RITUS

402. Post orationem benedictionis opportune canitur antiphona (cf. App. n. 8):

In hoc cognóscent omnes, quia discípuli mei estis, si dilectiónem habuéritis ad ínvicem.
℣. Dixit Iesus discípulis suis. In hoc.

403. Vel sequens (cf. App. n. 9):

Ant. Ubi cáritas est vera, Deus ibi est.

℣. Congregávit nos in unum Christi amor.
℣. Exsultémus et in ipso iucundémur.
℣. Timeámus et amémus Deum vivum.
℣. Et ex corde diligámus nos sincéro.

Ant. Ubi cáritas est vera, Deus ibi est.

℣. Simul ergo cum in unum congregámur:
℣. Ne nos mente dividámur, caveámus.
℣. Cessent iúrgia malígna, cessent lites.
℣. Et in médio nostri sit Christus Deus.

Ant. Ubi cáritas est vera, Deus ibi est.

℣. Simul quoque cum beátis videámus
℣. Gloriánter vultum tuum, Christe Deus:
℣. Gáudium, quod est imménsum atque probum,
℣. Sǽcula per infiníta sæculórum.

vel alius cantus aptus.

CAPUT VI

ORDO AD BENEDICENDOS PEREGRINOS

PRÆNOTANDA

404. Peregrinationes ad loca sancta, ad sepulcra Sanctorum et ad sanctuaria, sive traditis formis suscipiuntur sive novis, magni in vita pastorali habendæ sunt, utpote quæ fideles ad conversionem provocent, eorum vitam christianam nutriant et apostolicam navitatem promoveant.

405. Curandum est ut quod est proprium peregrinationis christianæ, eius nempe natura spiritalis, apte exponatur et opportune præparetur, ut peregrini vere fiant « præcones itinerantes Christi »[20] et peregrinationis fructus abunde percipiant.

406. Quo autem facilius id consequi possint, haud raro bonum erit, occasione data incipiendæ vel concludendæ peregrinationis, aptam celebrationem instituere, in qua peregrinis peculiaris benedictio impertiatur.

407. Si vero præferatur peregrinationem incipere vel absolvere celebratione Missæ vel Liturgiæ Horarum vel alius actionis liturgicæ, omnia concludi possunt peculiari peregrinorum benedictione, iuxta Ordines infra propositos.

408. Ordines, qui hic præbentur, adhiberi possunt tum a sacerdote, tum a diacono, qui, ritus structura et potioribus elementis servatis, peregrinationis et locorum adiunctis celebrationes aptabunt.

[20] Conc. Vat. II, Decretum de apostolatu laicorum, *Apostolicam Actuositatem,* n. 14.

I. ORDO BENEDICTIONIS PEREGRINORUM ITER INEUNTIUM

RITUS INITIALES

409. Communitate peregrinorum congregata, opportune canitur Ps 121 (122) vel alius cantus aptus. Cantu absoluto, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

410. Deinde adstantes salutat, dicens:

Deus, salus et consolátio nostra,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

411. Tum celebrans adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Ineúntes nos, fratres caríssimi, hanc sacram peregrinatiónem, in mentem revocémus opórtet quo consílio hoc sanctum propósitum maturavérimus.
Loca, quæ invísere cúpimus, devotiónem testántur pópuli Dei, qui eo frequens accúrrit ut inde rédeat in vita christiána profiténda fórtiter confirmátus, et ad caritátis ópera patránda alácriter parátus.

Sed et fidélibus ibi degéntibus nos ipsi, peregríni, áliquid afférre debémus: exémplum nempe fídei, spei et caritátis nostræ ut omnes, et indígenæ et adventícii, mútua ædificatióne diténtur.

LECTIO VERBI DEI

412. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit textum e Sacris Scripturis.

2 Cor 5, 6b-10 « *Peregrinamur a Domino* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Corínthios.

Dum præséntes sumus in córpore, peregrinámur a Dómino; per fidem enim ambulámus et non per spéciem. Audémus autem et bonam voluntátem habémus magis peregrinári a córpore et præséntes esse ad Dóminum. Et ídeo conténdimus sive præséntes sive abséntes placére illi. Omnes enim nos manifestári opórtet ante tribúnal Christi, ut réferat unusquísque pro eis, quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum.

413. Vel:

Is 2, 2-5 « *Ambulemus in lumine Domini* ».
Erit in novíssimis diébus ...

Lc 2, 41-51 « *Ascenderunt Ierosolymam* ».
Ibant paréntes Iesu per omnes annos ...

Lc 24, 13-35 « *Ipse Iesus appropinquans ibat cum illis* ».
In illo témpore duo ex discípulis ibant ipsa die (resurrectiónis Iesu) in castéllum ...

Hebr 10, 19-25 « *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei* ».
Habéntes, fratres, fidúciam ...

1 Petr 2, 4-12 « *Tamquam advenæ et peregrini* ».
Caríssimi, ad Iesum accedéntes ...

414. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 23 (24), 1-2. 3-4b. 5-6
℟. (cf. 6) *Hæc est generátio quæréntium fáciem tuam, Dómine.*

Ps 26 (27), 1. 4. 13-14
℟. (cf. 4) *Unum pétii a Dómino, ut inhábitem in domo Dómini.*

415. Celebrans pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

416. Sequitur prex communis. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria peregrinorum, vel rerum adiuncta respiciant.

Deum humánæ nostræ peregrinatiónis princípium et finem, fidénter invocémus, dicéntes:

℟. *Iter nostrum, Dómine, propítius comitáre.*

Pater sancte,
qui olim pópulo tuo in desérto peregrinánti,
ducem et viam te ipsum præbuísti:
— nobis, hoc iter inchoántibus,
præsídium tuum benígnus accómmoda
ut, quibúslibet perículis superátis,
felíciter ad nostra redeámus. ℟.

Qui Unigénitum tuum
tamquam viam qua ad te perveniámus nobis præbuísti,
— fac ut illum fidéliter et perseverántes sequámur. ℟.

Qui Maríam semper Vírginem,
imáginem et exémplar Christi sequélæ nobis præbuísti,

— tríbue ut illam semper aspiciéntes,
in novitáte vitæ digne ambulémus. ℟.

Qui Ecclésiam tuam peregrinántem in terris,
per Spíritum Sanctum ad te dírigis,
— concéde ut te super ómnia quæréntes,
in viam mandatórum tuórum currámus. ℟.

Qui nos ad te vocas
per sémitas iustítiæ et pacis,
— præsta ut te, aliquándo, in ætérna pátria contemplémur. ℟.

Oratio benedictionis

417. Tum celebrans, extensis manibus, subiungit:

Omnípotens Deus,
qui diligéntibus te
misericórdiam tuam semper impéndis
et quæréntibus te
nulla es in regióne longínquus,
adésto fámulis tuis pie peregrinántibus
et eórum viam in tua dírige voluntáte,
ut, per diem umbra tua salutáriter circumtécti
ac lúmine grátiæ tuæ per noctem illustráti,
ad eum, quo pergunt locum,
te comitánte,
felíciter váleant perveníre.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Conclusio ritus

418. Tum celebrans ritum concludit dicens:

Dírigat Dóminus viam nostram
et in salútis suæ prosperitáte dispónat.
℟. Amen.

Adsit nobis Dóminus
et comes noster esse dignétur.
℟. Amen.

Iter, quod nunc fidénter aggrédimur,
Deo opitulánte felíciter absolvámus.
℟. Amen.

419. Opportune fit cantus aptus.

II. ORDO BENEDICTIONIS PEREGRINORUM ANTE VEL POST REDITUM

420. Communitate peregrinorum congregata, opportune cantus aptus habetur, v. gr. *Urbs Ierúsalem beáta* (cf. App. n. 10), vel alius qui et locis et adiunctis congruat. Cantu expleto, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

421. Deinde celebrans, adstantes salutat dicens:

Deus, spes et consolátio nostra,
pace vos répleat et gáudio in Spíritu Sancto.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Amen.

vel:

Ipsi glória in sǽcula.

vel alio apto modo.

422. Tum celebrans adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Peculiáre tempus grátiæ Deus nobis peregrinántibus concéssit. Qui ergo loca sancta fidénter adívimus, ad cor nostrum renovándum íntima sollicitatióne compéllimur.
Sanctuária vero quæ visitávimus, signum exstant domus Dei non manufáctæ, Córporis scílicet Christi, cuius nos vivi et elécti lápides sumus, super ipsum, petram angulárem, ædificáti. Ad própria redeúntes, vocatiónem nostram vivámus, qua genus eléctum, regále sacerdótium, gens sancta et pópulus acquisitiónis vere sumus, ut virtútes eius annuntiémus, qui de ténebris nos vocávit in admirábile lumen suum.

Lectio verbi Dei

423. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit textum Sacrarum Scripturarum.

1 Chr 29, 9-18 « *Peregrini sumus coram te, Deus, et advenæ* ».

Audíte, fratres, verba libri primi Chronicórum.

Lætátus est pópulus super prompto ánimo príncipum et aliórum, quia corde toto offerébant ea Dómino; sed et David rex lætátus est gáudio magno.
Et benedíxit Dómino coram univérsa multitúdine et ait:

« Benedíctus es, Dómine Deus Israel patris nostri,
ab ætérno in ætérnum.
Tua est, Domine, magnificéntia et poténtia,
glória, splendor atque maiéstas.
Cuncta enim, quæ in cælo sunt et in terra tua sunt.
Tuum, Dómine, regnum, et tu eleváris ut caput super ómnia.
De te sunt divítiæ et glória,
tu domináris ómnium.

In manu tua virtus et poténtia,
in manu tua est magnificáre et firmáre ómnia.
Nunc ígitur, Deus noster, confitémur tibi
et laudámus nomen tuum ínclitum.
Quis ego et quis pópulus meus, ut possímus hæc tibi univérsa offérre? Tua sunt hæc ómnia, et, quæ de manu tua accépimus dédimus tibi. Peregríni enim sumus coram te et ádvenæ, sicut omnes patres nostri; dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est spes. Dómine Deus noster, omnis hæc cópia, quam parávimus, ut ædificarétur domus nómini sancto tuo, de manu tua est et tua sunt ómnia. Scio, Deus meus, quod probes corda et simplicitátem díligas; unde et ego in simplicitáte cordis mei lætus óbtuli univérsa hæc et pópulum tuum, qui hic repértus est, vidi cum ingénti gáudio sponte tibi offérre donária. Dómine Deus Abraham et Isaac et Israel patrum nostrórum, custódi in ætérnum hanc voluntátem cordis eórum; et semper in veneratiónem tui mens ista permáneat ».

424. Vel:

Lc 24, 28-35 « *Narrabant quæ gesta erant in via* ».
Appropinquavérunt discípuli castéllo quo ibant ...

Io 5, 1-15 « *Tolle grabatum tuum et ambula* ».
Erat dies festus Iudæórum ...

Io 9, 1-38 « *Abii et lavi et vidi* ».
Prætériens Iesus vidit ...

Act 8, 26-35 « *Venerat adorare in Ierusalem et revertebatur* ».
Angelus Dómini locútus est ad Philíppum ...

Hebr 13, 12-21 « *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* ».
Fratres: Iesus, ut sanctificáret ...

425. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 83 (84), 3. 4. 5-6. 7-8
℟. (2) *Quam diléçta tabernácula tua, Dómine virtútum!*

Ps 121 (122), 1-2. 4-5. 6-7. 8-9
℟. (cf. 1) *In domum Dómini lætántes íbimus.*

426. Celebrans, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

427. Sequitur prex communis. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria peregrinorum vel rerum adiuncta respiciant.

Dóminum cæli et terræ, qui vóluit ut plenitúdo divinitátis in húmana Christi natúra inhabitáret, súpplices deprecémur dicéntes:

℟. *Réspice, Dómine, de sanctuário tuo et bénedic pópulo tuo.*

Pater sancte, qui in éxodo pascháli
salútis viam pópulo tuo percurréndam
mýstice præfigurátam voluísti,
— præsta ut in viis nostris obeúndis
corde magno et ánimo volénti tibi adhæreámus. ℟.

Qui Ecclésiam tuam
velut sanctuárium in mundo posuísti
unde lux vera ómnibus præfulgéret,
— fac ut pópuli multi ad eam úndique fluant
et ámbulent in sémitis tuis. ℟.

Qui divínitus affirmásti
manéntem civitátem hic habéri non posse,
— fac ut futúram fidénter inquirámus. ℟.

Qui signa præséntiæ tuæ
in vitæ sémitis doces esse dignoscénda,
— concéde ut et nos Fílium tuum,
cómitem habeámus in via
et in fractióne panis convívam. ℟.

ORATIO BENEDICTIONIS

428. Tum celebrans, extensis manibus, subiungit:

Benedíctus Deus,
Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui ex ómnibus géntibus
devótum tibi pópulum elegísti,
sectatórem bonórum óperum:
tu qui horum fratrum corda divínitus tetigísti,
ut tibi fidélius adhærérent et prómptius inservírent,
illos, quǽsumus,
benedictiónibus tuis cumuláre dignéris,
ut cum gáudio ad própria redeúntes,
mirabília tua et dictis éfferant
et factis ómnibus maniféstent.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

CONCLUSIO RITUS

429. Tum celebrans ritum concludit dicens:

Dóminus cæli et terræ,
qui vobis in hac peregrinatióne
propítius adésse vóluit,
sua vos semper protectióne custódiat.

℟. Amen.

Deus, qui fílios suos dispérsos
in Christo Iesu congregávit in unum,
concédat ut et vos in ipso
cor unum sitis et ánima una.

℟. Amen.

Deus, qui pro suo beneplácito
et velle et perfícere in vobis operári dignátur,
devotiónem vestram sua benedictióne confírmet.

℟. Amen.

430. Laudabiliter ritus concluditur apto cantu.

CAPUT VII

ORDO BENEDICTIONIS PRO ITINERE INEUNDO

PRÆNOTANDA

431. Veneranda est consuetudo, in ipsa Scriptura pluries memorata, ut qui iter sint inituri, Domini deprecentur auxilium. Hic Ordo benedictionis specimen præbet orationis, ut pia consuetudo servetur.

Adhiberi potest præsertim pro itinerantibus, qui patria vel domo emigrant, etiam tantum ad tempus, ut laborem exerceant, aut alium in locum se dirigunt, verbi gratia ad ferias agendas.

432. Minister huius benedictionis potest esse tum sacerdos tum diaconus tum etiam laicus, qui omnes, ritus structura et potioribus elementis servatis, itinerantium et locorum adiunctis celebrationem aptabunt.

433. Si unus tantum vel aliquis parvus cœtus sit benedicendus, adhiberi potest Ritus brevior qui in fine huius Ordinis, nn. 449-452 exhibetur.

I. ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

434. Communitate congregata, minister dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

vel alio apto modo.

435. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, adstantes salutat dicens:

Dóminus qui visitábit nos óriens ex alto
ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

---

436. Si vero minister est laicus adstantes salutat, dicens:

Dominus convértat vultum suum ad nos
et dírigat pedes nostros in viam pacis.

Omnes respondent:

Amen.

---

437. Tum minister adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Fratres nostros discedéntes Dómino commendémus ut eis prósperum iter apériat et ipsi, inter huius mundi vias, Deum laudent in creatúris suis, eius bonitátem in fratrum hospitalitáte experiántur, bonum núntium salútis homínibus maniféstent, ómnibus se prǽbeant affábiles, afflíctos et egénos quos invénerint et benígne salútent et consolári sciant et sátagant adiuváre.

LECTIO VERBI DEI

438. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse minister qui præest legit textum Sacrarum Scripturarum.

Lc 3, 3-6 « *Rectas facite semitas eius* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Lucam.

Venit Ioánnes Baptísta in omnem regiónem circa Iordánem prǽdicans baptísmum pæniténtiæ in remissiónem peccatórum, sicut scriptum est in libro sermónum Isaíæ prophétæ: « Vox clamántis in desérto: Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas eius. Omnis vallis implébitur, et omnis mons et collis humiliábitur; et erunt prava in dirécta et áspera in vias planas; et vidébit omnis caro salutáre Dei ».

439. Vel:

Deut 6, 4-9 *Meditaberis verba mea in itinere.*

Audíte, fratres, verba libri Deuteronómii.

Audi Israel: Dóminus Deus noster Dóminus unus est. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota ánima tua et ex tota fortitúdine tua. Erúntque verba hæc, quæ ego præcípio tibi hódie, in corde tuo, et inculcábis ea fíliis tuis et loquéris ea sedens in domo tua et ámbulans in itínere, decúmbens atque consúrgens; et ligábis ea quasi signum in manu tua, erúntque quasi appénsum quid inter óculos tuos, scribésque ea in póstibus domus tuæ et in portis tuis.

440. Vel:

Gen 12, 1-9 « *Egredere in terram, quam monstrabo tibi* ».
Dixit Dóminus ad Abram: « Egrédere de terra tua ...

Gen 28, 10-16 « *Ego tecum sum et custodiam te, quocumque perrexeris* ».
Egréssus Iácob de Bersabée pergébat Charran ...

Tob 5, 17-22 « *Deus protegat vos ibi, et reducat vos* ».
Dixit Azarías Thobi: « Ibo cum illo, ne timúeris ...

Lc 24, 13-35 « *Ipse Iesus appropinquans ibat cum illis* ».
In illo témpore duo ex discípulis ibant ipsa die (resurrectiónis Iesu) in castéllum ...

Io 14, 1-11 « *Ego sum via et veritas et vita* ».
Dixit Iesus discípulis suis: « Non turbétur cor vestrum ...

441. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus:

Ps 22 (23), 1-3. 4. 5. 6
℟. (1) *Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.*

Ps 24 (25), 5-6. 9-10. 12-13
℟. (4) *Vias tuas, Dómine, demónstra mihi.*

Ps 90 (91), 1-2. 10-11. 12-13. 14-15
℟. (cf. 11) *Angeli Dómini custódiant te in ómnibus viis tuis.*

442. Minister qui præest, pro opportunitate adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

443. Ubi opportunum videtur, ante orationem benedictionis, communis prex haberi potest. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, minister seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

Deum, nostrárum viárum princípium et finem, fidénter invocémus dicéntes:

℟. *Pius adésto, Dómine, gréssibus nostris.*

Pater sancte,
cuius Unigénitus se nobis tamquam viam præbuit,

qua ad te perveniámus,
— fac ut illum præeúntem fidéli perseverántia sequámur. ℟.

Qui serviéntibus tibi
semper et ubíque es propínquus,
— fámulos tuos patérna protectióne custódi,
ut te séntiant cómitem in via,
quem futúrum sperant convívam in pátria. ℟.

Qui olim pópulo tuo in desérto peregrinánti
ducem et viam temetípsum præbuísti,
— nobis, hoc iter inchoántibus,
præsídium tuum largíre benígnus
ut, quibúslibet perículis superátis,
felíciter ad nostra redeámus. ℟.

Qui hospitalitátem peregrínis exhíbitam
inter signa adveniéntis regni tui posuísti,
— concéde ut omnes, qui sine domo vagántur,
stábilem possint sedem inveníre. ℟.

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

444. Quando preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, minister, his vel similibus verbis, divinum auxilium exposcit, dicens:

Vias tuas, Dómine, demónstra nobis.
℟. *Kýrie, eléison.*

Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto.
℟. *Kýrie, eléison.*

Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis.
℟. *Kýrie, eléison.*

Salvos fac servos tuos, Dómine, sperántes in te.
℟. *Kýrie, eléison.*

Sequitur oratio benedictionis.

ORATIO BENEDICTIONIS

445. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, manibus extensis, secus vero, manibus iunctis, benedictionis orationem profert.

Si ipse non est cum aliis profecturus:

Omnípotens et misericors Deus,
qui fílios Israel per médium mare
sicco vestígio transíre fecísti,
et Magis ad Fílium tuum veniéntibus
iter, stella duce, ostendísti;
auxiliáre frátribus nostris,
et iter eis prósperum concéde,
ut, te protegénte et comitánte,
quo tendunt incólumes perveníre
ac demum ætérnæ salútis portum
felíciter intráre mereántur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

446. Vel cum ipse est simul cum aliis profecturus:

Omnípotens sempíterne Deus,
qui Abraham de terra sua edúctum,
et de cognatióne detráctum
per omnes suæ peregrinatiónis vias
illǽsum custodísti:
nos étiam fámulos tuos custodíre dignéris:
esto nobis, Dómine, in procínctu suffrágium,
in via comes atque solátium,
in adversitáte præsídium:
ut, te duce, quo téndimus,
próspere perveniámus,
et ad própria felíciter redíre possímus.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

CONCLUSIO RITUS

447. Tum ille qui præest, si est sacerdos vel diaconus, ritum concludit dicens:

Dóminus vobis (nobis) inseparabíliter inhǽreat
et iter vestrum (nostrum) beneplácito suo
misericórditer dírigat.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

---

448. Si vero minister est laicus super profecturos omnesque adstantes benedictionem Domini implorat, ac seipsum signans, dicit:

Benedícat nos omnípotens Deus,
ac nos pro vobis exáudiat supplicántes
ut prósperum iter habeátis.

℟. Amen.

II. RITUS BREVIOR

449. Ille qui præest dicit:

Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

Omnes respondent:

Qui fecit cælum et terram.

450. Tunc ab uno ex adstantibus vel ab eo qui præest legitur textus Sacræ Scripturæ, v. gr.:

Tob 4, 19a: Omni témpore bénedic Dóminum et póstula ab illo, ut dirigántur viæ tuæ et omnes sémitæ tuæ et consília bene disponántur.

Io 14, 6: Dixit Iesus: « Ego sum via et véritas et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me ».

451. Deinde ille qui præest benedictionis orationem profert:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui Abraham de terra sua edúctum,
et de cognatióne detráctum
per omnes suæ peregrinatiónis vias
illǽsum custodísti:
nos étiam fámulos tuos custodíre dignéris:
esto nobis, Dómine, in procínctu suffrágium,
in via comes atque solátium,
in adversitáte præsídium:
ut, te duce, quo téndimus,
próspere perveniámus,
et ad própria felíciter redíre possímus.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

452. Vel:

Benedícat nos Deus
omni benedictióne cæléstí
viásque nostras in prosperitáte dispónat,
ut inter omnes mundánas varietátes,
eius semper protectiónem
experíri valeámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

PARS SECUNDA

DE BENEDICTIONIBUS QUÆ ÆDES ET CHRISTIFIDELIUM MULTIMODAM NAVITATEM SPECTANT

PRÆNOTANDA PARTIS SECUNDÆ

453. Fide ducti christifideles, spe roborati et caritate compulsi, bonitatis divinæ vestigia non solum in universis rebus creatis sapienter dignoscere valent, sed omnes mundi eventus tamquam signa considerant paternæ illius providentiæ, qua Deus omnia regit atque gubernat. Semper ergo et ubique occasio præbetur et orandi, et Domino fidendi et gratias debitas agendi.

454. Sensum fidei, quo Dei præsentia in cunctis vitæ eventibus percipitur, peculiaribus decet ritibus exhibere, qui in huiusmodi rebus aut ædificiis inaugurandis peraguntur. Deum enim benedicimus eique pro novis rebus vel ædificationibus gratias agimus, imprimis ab illo petentes, ut eos qui horum operum vel rerum utentur beneficio, sua ipse benedictione cumulare dignetur.

455. Ordines benedictionum, qui in hac parte inveniuntur, res adhibendas atque ædificia inauguranda respiciunt, quæ christifidelium multimodam spectant navitatem, quæque in eorum vita magni sunt momenti.

CAPUT VIII

ORDO BENEDICTIONIS OPERIS QUO NOVI ÆDIFICII STRUCTURA PARATUR

PRÆNOTANDA

456. Ritus, qui sequitur, adhibetur cum opus inchoatur ad ædificium exstruendum vel benedicitur primarius lapis ædificii alicuius momenti, præsertim pro aliqua communitate peculiari. Modus autem benedicendi primarii lapidis sicut etiam benedicendi operis ad novam ecclesiam ædificandam fit iuxta ritum in Ordine Dedicationis ecclesiæ et altaris propositum.[1]

457. Ordo, qui hic præbetur, adhiberi potest tum a sacerdote tum a diacono qui, ritus structura et potioribus elementis servatis, adstantium et operis ac locorum adiunctis celebrationem aptabunt.

458. Hæc celebratio etsi respicit communitatem cui ædificium exstruendum destinatur, pleniorem tamen sensum consequi potest cum adsunt etiam illi qui proprio labore immediate opus ædificabunt.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

459. Cœtu congregato ad locum ubi ædificium exstruendum est, convenienter fit cantus aptus, v. gr. Ps 126 (127), 1-2.

460. Cantu expleto, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

[1] *Pontificale Romanum,* Ordo Dedicationis ecclesiæ et altaris, cap. I.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

461. Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Grátia vobis et pax a Deo Patre nostro,
a quo bona cuncta procédunt.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

462. Secundum loci consuetudines, post salutationem, legati eorum qui opus exstruere curabunt aliquam præsentationem operis facere possunt.

463. Deinde celebrans adstantes ad benedictionis celebrationem disponit his vel similibus verbis:

Opus quod hódie inchoámus, fidem nostram debet excitáre et gratos animórum sensus exhibére. Illud psalmi útique nóvimus: Nisi Dóminus ædificáverit domum in vanum labórant qui ædíficant eam. Dei autem quodámmodo sumus adiutóres, quóties opéribus nostris frátribus vel communitáti consúlimus atque servímus. Dei ígitur auxílium hac nostra celebratióne, fratres, implorémus, ut hanc structúram ad optátum éxitum felíciter ducat, molitóres prótegat et ab omni malo defféndat.

LECTIO VERBI DEI

464. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit textum Sacrarum Scripturarum.

1 Cor 3, 9-11 « *Dei ædificatio estis* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Corínthios.

Dei sumus adiutóres: Dei agricultúra estis, Dei ædificátio estis. Secúndum grátiam Dei quæ data est mihi, ut sápiens architéctus fundaméntum pósui; álius autem superædíficat. Unusquísque autem vídeat quómodo superædíficet; fundaméntum enim áliud nemo potest pónere præter id, quod pósitum est, qui est Iesus Christus.

465. Vel:

Is 28, 16-17b « *Ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem* ».
Hæc dicit Dóminus ...

1 Petr 2, 4-10 « *Et ipsi tamquam lapides vivi ædificamini* ».
Ad Dóminum accedéntes ...

Lc 6, 47-49 « *Domus bene ædificata* ».
Dicébat Iesus discípulis suis: « Omnis qui venit ad me ...

466. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus:

Ps 120 (121), 1-2. 3-4. 5-6. 7-8
℞. (cf. 2) *Adiutórium nostrum in nómine Dómini.*

Ps 89 (90), 12-14. 16-17
℞. (cf. 17c) *Opus mánuum nostrárum confírma.*

467. Celebrans, pro opportunitate, brevem homiliam facere potest, lectionem biblicam illustrans, ut adstantes sensum celebrationis fide percipiant.

Preces

468. Sequitur prex communis. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere, quæ peculiaria adstantium vel rerum adiuncta respiciant.

Deum Patrem omnipoténtem, fratres caríssimi, deprecémur ut opus, quod hódie inchoámus, ad regnum Dei ædificándum cónferat et nos Christo, anguIári lápidi, in fide et caritáte coniúngat.

℟. *Benedíctus es, Pater, in ætérnum.*

Qui nobis sapiéntiam et vires dedísti,
ut óperis tui adiutóres efficerémur. ℟.

Qui per Fílium tuum Dóminum nostrum,
Ecclésiam tuam sanctam supra firmam petram
ædificáre voluísti. ℟.

Qui per Spíritum Fílii tui
domum nos ædíficas spiritálem,
in qua mansiónem tuam fácere dignáris. ℟.

Qui nobis id firma ponis in spe,
ut hoc opus cuius hódie, te benedicénte,
inítium súmimus,
te protegénte, ad felícem éxitum perducámus. ℟.

Qui tunsióne plúrima
lápides nos vivos sculpis atque pérpolis,
ut dignos effícias
qui in Sanctam Ierúsalem exstruámur. ℟.

ORATIO BENEDICTIONIS

469. Tum celebrans, manibus extensis, orationem benedictionis profert:

Omnípotens Deus, misericordiárum Pater,
qui per Fílium tuum cuncta creásti,
et ipsum regni tui fundaméntum firmíssimum statuísti,

concéde, quǽsumus,
ut quod ad glóriam nóminis tui
et ad nostrum profectum aggrédimur,
ætérno tuæ sapiéntiæ múnere,
in dies cápiat increméntum
et suo témpore felíciter consummétur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

470. Vel:

Rerum cónditor Deus,
qui hóminem iussísti labóris offícia sustinére,
da, ut opus quod incípimus
huius vitæ prosit increméntis,
et regno Christi dilatándo
tua benignitáte profíciat.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

471. Tum celebrans, pro opportunitate, aream novi ædificii exstruendi et primarium lapidem aqua benedicta aspergere potest. Deinde lapis in fundamentis ponitur, dum populus cantum aptum peragit.

Conclusio ritus

472. Deinde celebrans, manibus super adstantes extensis, ritum concludit, dicens:

Benedícat vos omnípotens Dóminus,
et propítius cordis vestri vota suscípiat.

℟. Amen.

Det vobis Dóminus
ut quæcúmque fácitis
ómnia in eius nómine faciátis.

℟. Amen.

Labórem vestrum Dóminus seréno vultu respíciat
et vitam vestram ab omni malo deféndat.

℟. Amen.

473. Laudabiliter ritus cantu apto perficitur.

CAPUT IX

ORDO BENEDICTIONIS NOVÆ DOMUS

PRÆNOTANDA

474. Cum novam domum christifideles auspicari desiderant, pastor animarum eiusque cooperatores eorum voluntati libenter assentiantur; pretiosa enim eis præbetur occasio eosdem fideles conveniendi, ut pro novæ habitationis copia simul et in lætitia Deo gratias agant, a quo bona cuncta procedunt.

475. Ordo, qui hic præbetur, adhiberi potest tum a sacerdote tum a diacono et etiam a laico, ritibus tamen et formulis pro ipso prævisis.

476. Ex hoc Ordine, semper servatis structura ritus ac potioribus elementis, quædam sumi possunt ut celebratio adiunctis loci et commorantium accommodetur.

477. Benedictio novæ domus sine commorantium præsentia ne fiat.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

478. Familiæ membris, propinquis quoque et amicis loco apto congregatis, minister dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

479. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, adstantes salutat, dicens:

Pax huic dómui et ómnibus habitántibus in ea.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

---

480. Si vero minister est laicus, adstantes salutat dicens:

Deus, quem unánimes uno ore glorificámus,
det nobis, per Spíritum eius
idípsum sápere in altérutrum
secúndum Christum Iesum.

Omnes respondent:

Amen.

---

481. Deinde adstantes ad celebrationem benedictionis disponit his vel similibus verbis:

Ad Christum, fratres caríssimi, qui ex Vírgine María nasci dignátus est et habitávit in nobis, fervens nostra dirigátur orátio ut sub hoc tectum intráre et hanc domum sua præséntia benedícere dignétur. Christus Dóminus sit hic in médio vestri, caritátem fratérnam in vobis alat, gáudia partícipet, súblevet mæróres. Vos autem, Christi præcéptis et exémplis addúcti, id appríme curáte ut hæc nova domus caritátis sit domicílium, unde bonus Christi odor longe latéque diffundátur.

Lectio verbi Dei

482. Deinde unus ex adstantibus vel ipse minister legit textum Sacrarum Scripturarum.

Lc 10, 5-9 « *Pax huic domui* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Lucam.

Dixit Dóminus discípulis suis: « In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui. Et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illam pax vestra; sin autem ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte edéntes et bibéntes, quæ apud illos sunt: dignus enim est operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte, quæ apponúntur vobis, et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei ».

483. Vel:

Gen 18, 1-10a « *Domine, ne transeas servum tuum!* ».
In diébus illis: Appáruit Abrahæ Dóminus iuxta Quercus Mambre ...

Mc 1, 29-30 *Iesus venit in domum Simonis.*
Egrédiens Iesus de synagóga venit in domum Simónis ...

Lc 10, 38-42 « *Martha excepit Iesum* ».
Intrávit Iesus in quoddam castéllum ...

Lc 19, 1-9 « *Hodie salus domui huic facta est* ».
Ingréssus Iesus perambulábat Iéricho ...

Lc 24, 28-32 « *Mane nobiscum* ».
Iesus et duo discípuli appropinquavérunt castéllo ...

484. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 111 (112), 1-2. 3-4. 5-6. 7-8. 9
℟. (1a) *Beátus vir qui timet Dóminum.*

Ps 126 (127), 1. 2. 3-4. 5
℟. (cf. 1) *Dóminus ædíficet nobis domum.*

Ps 127 (128), 1-2. 3. 4-6a
℟. (4) *Ecce sic benedicétur homo qui timet Dóminum.*

485. Minister, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

486. Sequitur prex communis. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, minister seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria adstantium vel rerum adiuncta respiciant.

Fílium Dei, Dóminum cæli et terræ, qui, caro factus, habitávit in nobis, grato et læto corde invocémus, dicéntes:

℟. *Mane nobíscum, Dómine.*

Dómine Iesu Christe,
qui vitam doméstícam cum María et Ioseph sanctificásti,
— nobíscum in hac domo commorári dignéris,
ut te nostrum hóspitem sentiámus et caput venerémur. ℟.

Tu, in quo omnis ædificátio compácta
crescit in templum sanctum
— fac ut habitántes in hac domo
coædificéntur in habitáculum Dei in Spíritu. ℟.

Qui fidéles tuos domum suam supra firmam petram
ædificáre docuísti
— da ut huius famíliæ vita
verbis tuis fórtiter adhǽreat
et omni divisióne remóta,
corde magno et ánimo voléntí tibi desérviat. ℟.

Qui, domo própria carens, hospitalitátem amicórum
in lætítia paupertátis accepísti,

— fac ut omnes qui locum habitatiónis inquírunt
domum suo nómine dignam,
adiuvántibus nobis invéniant. ℟.

ORATIO BENEDICTIONIS

487. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, manibus extensis, secus vero, manibus iunctis, subiungit:

Adésto, Dómine, fámulis tuis
qui domum hanc (hódie) auspicántes,
benedictiónem tuam súpplices exórant,
ut in ea commorántes te refúgium séntiant,
ab ea exeúntes te cómite læténtur,
ad eam redeúntes te hóspite perfruántur
donec mansiónem sibi parátam
in domo Patris tui felíciter invéniant.
Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

488. Adhiberi possunt a sacerdote vel diacono etiam Orationes benedictionis quæ in Ordine benedictionis annuæ familiarum in domibus suis extra tempus paschale supra capite I, nn. 85-86 indicantur.

489. Post orationem benedictionis, minister adstantes et domum aqua benedicta aspergit, dicens, pro opportunitate:

Sit hæc aqua suscépti Baptísmatis memória
et Christum récolat,
qui Passióne et Resurrectióne sua nos redémit.

℟. Amen.

CONCLUSIO RITUS

490. Tum minister ritum concludit dicens:

Pax Christi regnet in córdibus nostris
verbum Christi hábitet in nobis abundánter,
ut quodcúmque fácimus in verbo aut in ópere,
ómnia in nómine Dómini faciámus.

Omnes respondent:

Amen.

491. Laudabiliter ritus cantu apto perficitur.

CAPUT X

ORDO BENEDICTIONIS NOVI SEMINARII

PRÆNOTANDA

492. Cum novum seminarium aperitur seu domus ubi sacrorum Ordinum candidati instituuntur, opportune peculiaris instruitur ritus benedictionis.

493. Cum novi seminarii aperitio vitam spiritalem christifidelium totius diœcesis quodammodo afficiat, eos certiores fieri oportet de die quo benedictio impertitur, ut frequentiores ritui interesse possint vel saltem eidem se oratione sociare. Ad fovendum autem fidelium concursum necnon propter indolem ritus, eligatur dies festiva, præsertim dies dominica.

494. Ubi ecclesia seminarii dedicatur vel benedicitur, opportune in litaniis vel oratione fidelium aptæ inseri possunt invocationes seu intentiones, peculiaria domus et institutionis alumnorum adiuncta spectantes.

495. Ordo, qui hic præbetur, adhibetur ab Episcopo vel etiam a presbytero, qui, ritus structura servata, adstantium ac rerum adiunctis celebrationem aptabit.

496. In regionibus ubi benedictionem omnium domorum tempore paschali vel alio peculiari tempore fit, celebrans, ex elementis in hoc Ordine indicatis, aptam instruere potest celebrationem, quæ participantium alumnorum bono spiritali faveat.

ORDO BENEDICTIONIS

Ritus initiales

497. Alumni et fideles congregantur ad locum ubi novum seminarium benedicendum est erectum, et convenienter fit cantus aptus.

498. Cantu expleto, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

499. Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Grátia Dómini nostri Iesu Christi,
qui ætérna est Sapiéntia et únicus Magíster,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacra Scriptura præsertim deprompta.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

vel:

Ipsi glória in sǽcula.

500. Deinde celebrans adstantes breviter alloquitur ut eorum animos ad celebrationem disponat et ritum illustret, quod facere potest his vel similibus verbis:

Dei misericórdia, fratres caríssimi, hic congregáti sumus ad novum seminárium benedicéndum, quod eius largitátis magnum est donum. Seminárium enim véluti vivárium — uti nomen sonat — exstat diœcésis, ubi Ecclésiæ minístri educántur. Rogémus ergo Dóminum, ut novum seminárium

schola sit oratiónis et aula cæléstis doctrínæ et, quos alúmnos suscéperit, vobis reddat sédulos pastóres, nobis autem sacri ministérii sócios et adiutóres.

501. Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc prosequitur:

Réspice, Dómine, Ecclésiam tuam N.,
quæ hanc novam seminárii sedem eréxit,
ubi, te donánte,
futúri Christi minístri, in unum collécti,
communióne vitæ et sacræ doctrínæ stúdio,
ad tanta múnera obeúnda recte instituántur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

LECTIO VERBI DEI

502. Deinde lectores vel diaconus legunt unum vel aliquot Sacræ Scripturæ textus, ex iis potissimum qui infra proponuntur vel ex iis qui in Lectionario pro conferendis sacris Ordinibus proponuntur,[2] interiectis congruentibus psalmis responsoriis vel intervallis silentio peragendis. Lectio autem Evangelii principem locum semper obtineat.

503. Tamquam prima lectio adhiberi potest textus qui infra proponitur:

1 Cor 1, 26 — 2, 5 « *Videte vocationem vestram, fratres!* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Corínthios.

Vidéte vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles; sed, quæ stulta sunt mundi, elégit Deus, ut confúndat sapiéntes, et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia, et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus, quæ non sunt, ut ea,

[2] Cf. *Missale Romanum*, Ordo Lectionum Missæ, nn. 770-774.

quæ sunt, destrúeret, ut non gloriétur omnis caro in conspéctu Dei. Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est sapiéntia nobis a Deo et iustítia et sanctificátio et redémptio, ut quemádmodum scriptum est: « Qui gloriátur, in Dómino gloriétur ».
Et ego, cum veníssem ad vos, fratres, veni non per sublimitátem sermónis aut sapiéntiæ annúntians vobis mystérium Dei. Non enim iudicávi scire me áliquid inter vos nisi Iesum Christum et hunc crucifíxum. Et ego in infirmitáte et timóre et tremóre multo fui apud vos, et sermo meus et prædicátio mea non in persuasibílibus sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne Spíritus et virtútis, ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum sed in virtúte Dei.

504. Vel:

1 Sam 3, 1-10 « *Loquere, Domine, quia audit servus tuus* ».
Puer Sámuel ministrábat Dómino ...

Sap 9, 1-6. 10-18 « *Mitte sapientiam, Deus, ut mecum sit et mecum laboret* ».
Deus patrum meórum ... computábitur. *10* Emítte ...

1 Cor 9, 7-27 « *Væ mihi est si non evangelizavero!* ».
Fratres, quis mílitat ...

505. Si canitur psalmus responsorius, unus ex sequentibus sumi potest.

Ps 15 (16), 1-2 et 5. 7-8. 11
℟. (cf. 5) *Tu es, Dómine, pars hereditátis meæ.*

Ps 22 (23), 1-3. 4. 5. 6
℟. (1) *Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.*

Ps 83 (84), 3-4. 5 et 11
℟. (5) *Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine.*

Ps 99 (100), 2. 3. 4. 5

℟. (Io 15, 14) *Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ præcípio vobis.*

506. Adhiberi potest sequens textus:

Mt 9, 35-38 « *Messis quidem multa, operarii autem pauci* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Circumíbat Iesus civitátes omnes et castélla, docens in synagógis eórum et prǽdicans evangélium regni et curans omnem languórem et omnem infirmitátem. Videns autem turbas, misértus est eis quia erant vexáti et iacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Tunc dicit discípulis suis: « Messis quidem multa, operárii autem pauci; rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam ».

507. Vel:

Mt 13, 44-46 « *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito* ».
In illo die dixit Iesus discípulis suis: « Símile ...

Mc 4, 1-2. 26b-34 « *Seorsum discipulis Iesus docebat omnia* ».
Iterum cœpit Iesus docére ... in doctrína sua: *26b.* « Sic est regnum Dei ...

Lc 24, 44-48 « *Iesus aperuit illis sensum ut intellegerent Scripturas* ».
Appárens discípulis suis Iesus, dixit ad eos ...

Io 1, 35-42 « *Viderunt ubi maneret Iesus et apud eum manserunt* ».
Altera die íterum videt Ioánnes Iesum ...

Io 20, 19-23 « *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* ».
Cum esset sero die illa ...

508. Deinde celebrans homiliam habet, in qua tum lectiones biblicas tum significationem celebrationis explanat.

PRECES

509. Sequitur prex communis. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere, quæ peculiaria rerum vel personarum adiuncta respiciant.

In Christo, qui perfécta Dei Patris imágo est, omnes thesáuri grátiæ et sapiéntiæ inveniúntur. Fidénti ánimo illum adeámus, et invocémus dicéntes:

℟. *Da, Dómine, ut quocúmque íeris te sequámur.*

vel:

℟. *Quos éligis, intuére, Dómine.*

vel:

℟. *Tu, Dómine, verba vitæ ætérnæ habes.*

Dómine Iesu Christe, qui discípulos congregásti
ut, te docénte, ministério regni sociáres,
— concéde nobis ut et tibi confórmes fiámus
et famulátui pópuli Dei nos devoveámus. ℟.

Qui pro discípulis orásti,
ut in veritáte sanctificaréntur,
— immítte in nos Sanctum Spíritum
ut, tibi adhæréntes,
fructum afferámus et fructus noster máneat. ℟.

Qui, Póntifex ex homínibus assúmptus,
pópulum a te redémptum Deo et Patri tuo
regnum fecísti et sacerdótes,
— fac ut quod legem Dómini meditántes credidérimus,
verbi et vitæ testimónio comprobémus. ℟.

Qui voluntátem Patris adímplens,
genus vitæ virginális et páuperis elegísti,

— fac ut, Deo summe dilécto plene mancipáti,
tibi adhæreámus, tibíque soli vívere et placére studeámus. ℟.

Qui factus es nobis sapiéntia a Deo,
— da ut, sapiéntiam Crucis edócti,
in ostensióne Spíritus et virtútis
loquámur atque vivámus. ℟.

Qui Patrem tuum oráre nobis præcepísti,
ut operários mittat in messem suam,
— supplicatiónes nostras exáudi,
ut dum in dies messis succréscit,
messóres étiam multiplicéntur. ℟.

Oratio benedictionis

510. Tum celebrans, manibus extensis, dicit:

Te, Dómine, benedícimus,
tuum nomen celebrámus,
quia ineffábili misericórdiæ tuæ consílio
statuísti ut únicum summúmque Christi sacerdótium
in ætérnum manéret
eiúsque invisíbilis poténtia,
per visíbiles minístros,
Ecclésiam tuam iúgiter sustentáret.
Ipse enim Fílius tuus amóris tui mystérium
géntibus maniféstat,
cum Evangélii præcónes verbum salútis annúntiat:
ipse, sedens ad déxteram glóriæ tuæ,
nobíscum orat cum precátio résonat sacerdótum,
et sui ipsíus tibi oblatiónem repræsentáre dignátur,
cum ad altária sacerdótes sacra célebrant mystéria;
ipse Ecclésiam tuam gubérnat et regit,
cum pastóres oves sibi créditas custódiunt
atque depáscunt.

Réspice, ergo, Dómine, Ecclésiam tuam N.,
quæ hanc novam seminárii domum eréxit,
ubi futúros Christi minístros in unum colléctos,
communióne vitæ et sacræ doctrínæ stúdio
ad tanta múnera obeúnda recte instituéndos curáret.
Súpplices ergo te, sancte Pater, adprecámur:
ut quos vis Evangélii esse núntios altarísque minístros,
hic orándo díscant quod aliquándo docébunt,
et mente apprehéndant quod móribus demonstrábunt;
hic consuéscant spiritáles hóstias offérre,
et divína frequentántes mystéria,
cæléstium sacramentórum vim experiántur salutárem;
hic obœdiéndo oves sint quæ Pastórem bonum agnóscant,
ut sua vice pastóres effécti domínici gregis,
pro óvibus sibi commíssis
ánimam suam libénter dare pernóscant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

511. Post orationem benedictionis, celebrans adstantes et novam domum aqua benedicta aspergit, dum canitur antiphona (cf. App. n. 9):

Ant. Ubi cáritas est vera, Deus ibi est.

℣. Congregávit nos in unum Christi amor.
℣. Exsultémus et in ipso iucundémur.
℣. Timeámus et amémus Deum vivum.
℣. Et ex corde diligámus nos sincéro.

Ant. Ubi cáritas est vera, Deus ibi est.

℣. Simul ergo cum in unum congregámur:
℣. Ne nos mente dividámur, caveámus.
℣. Cessent iúrgia malígna, cessent lites.
℣. Et in médio nostri sit Christus Deus.

Ant. Ubi cáritas est vera, Deus ibi est.

℣. Simul quoque cum beátis videámus
℣. Gloriánter vultum tuum, Christe Deus:
℣. Gáudium, quod est imménsum atque probum,
℣. Sǽcula per infiníta sæculórum.

vel alius cantus aptus.

CONCLUSIO RITUS

512. Deinde diaconus pro opportunitate adstantes ad benedictionem accipiendam invitat his vel similibus verbis:

Inclináte vos ad benedictiónem.

Tum celebrans, manibus super adstantes extensis, ritum concludit dicens:

Deus, qui pastóres pópulo suo providére non désinit,
effúndat in Ecclésiam suam
spíritum pietátis et fortitúdinis,
ut qui, ipso vocánte,
sacerdotále munus assúmunt,
digne, Spíritus grátia adiuvánte,
stúdeant adimplére.

℟. Amen.

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

513. Vel:

Deus, cui vocánti generóse respondístis
et in quo spem firmam pónitis

vos in ministério sancto servos bonos
futúros esse atque fidéles,
suam vobis benedictiónem benígnus infúndat.

℟. Amen.

Et quia ánimum inténditis
ad Christi sacerdótium hierárchicum participándum,
vos Spíritus Sanctus suis répleat donis,
ut apostólicam vivéndi formam vere instaurétis.

℟. Amen.

Dies et actus vestros in sua dilectióne Dóminus dispónat,
ut munus Christi salutáre
apud hómines explére valeátis
et in Ecclésiæ servítio assíduo stúdio perseveráre.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

514. Laudabiliter ritus apto cantu perficitur.

CAPUT XI

ORDO BENEDICTIONIS NOVÆ DOMUS RELIGIOSÆ

PRÆNOTANDA

515. Cum in domo religiosa ii congregentur, qui evangelica consilia profitentes, Christum Dominum pressius sequi et imitari percupiunt, præstat ut ipsa domus peculiari benedictione donetur.

516. In præsenti Ordine, nomine domus religiosæ, conventus etiam et monasteria designantur. In celebratione, servatis semper elementis potioribus, omnia locorum et personarum adiunctis accommodentur, ratione etiam habita indolis quæ religiosi Instituti vel muneris apostolici propria sit et peculiaris. Ad benedicendam domum formationis elementa quædam sumi possunt ex Ordine benedictionis seminarii, opportune aptata, ut supra capite X.

517. Etsi hæc benedictio respicit in primis ipsos religiosos, apte tamen dies ad eam celebrandam eligitur, quo fidelium communitas, in cuius bonum nova domus religiosa erigitur, celebrationi participare possit.

518. Ordo, qui hic præbetur, adhiberi potest a presbytero. Ad Ordinarium, cui domus religiosæ cura commissa est, spectat novam domum benedicere. Si vero ipse ritui præesse nequeat, munus committat superiori communitatis. Si ritui præest presbyter, qui non sit ipsius Instituti, vel Episcopus, omnia attente et opportune aptentur.

519. Si domus religiosa propria ditetur ecclesia, quæ dedicatur vel benedicitur, opportune in litaniis vel oratione fidelium aptæ inseri possunt invocationes seu intentiones, domum et peculiare vitæ religiosæ genus quod in ea sodales ducent, spectantes.

520. In regionibus ubi domorum benedictionem tempore paschali vel alio peculiari tempore opportunum impertire videtur etiam do-

mibus religiosis, minister ex elementis in hoc Ordine indicatis, collatisque cum religiosa familia consiliis aptam instruat celebrationem, quæ participantium bono spiritali faveat.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

521. Religiosi et christifideles congregantur ad locum ubi nova domus religiosa est erecta, et convenienter fit cantus aptus.

522. Cantu expleto, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

523. Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Deus, ómnis sanctitátis fons et orígo,
qui hómines ad Christi sequélam
semper vocáre dignátur,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel:

Ipsi glória in sǽcula.

vel alio apto modo.

524. Tum celebrans adstantes ad celebrationem disponit his vel similibus verbis:

Ubi duo vel tres in nómine Christi congregántur, ibi Christus ipse est in médio illórum. Domum hanc benedicéntes quo ii

convénient quos in unum Christi amor cóngregat ut ipsum in caritáte et virginitáte, in paupertáte et in obœdiéntia fidéliter pressiúsque sequántur, eius implorámus bonitátem a quo bona cuncta procédunt, ut quæ promisérunt suæ vitæ móribus expriméntes, Patris glóriam cum Iesu in ómnibus quærant; oratióni fratérne instántes, orántis Ecclésiæ imáginem maniféstent, Spíritu autem ducti iuxta suam quisque vocatiónem iúgiter adlabórent, ut Christus semper in ómnibus nobis inhábitet.

525. Expleta admonitione, celebrans dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tum celebrans prosequitur:

Deus, qui et velle et perfícere
in nobis operári non désinis,
te benedícimus quod in terréna peregrinatióne
átria tua nobis concupíscere dedísti.
Da, quǽsumus, ut fámuli tui
quorum novam domum adímus
te in fide auscúltent,
te in oratióne precéntur,
in labóribus te quærant,
in ómnibus te invéniant,
et testes fiant Evangélii,
ut per eos bonum odórem notítiæ suæ
Christus in omni loco maniféstet,
donec ipsi in revelatióne glóriæ eius
gáudeant exsultántes.
Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

LECTIO VERBI DEI

526. Deinde leguntur a lectoribus vel diaconis unus vel plures Sacræ Scripturæ textus, ex iis qui in Lectionario Missæ pro religiosis [3] vel in consecratione virginum et in professione religiosa [4] indicantur, interiectis congruentibus psalmis responsoriis vel intervallis silentio peragendis. Lectio autem Evangelii principem locum semper obtineat.

527. Adhiberi possunt etiam textus qui infra proponuntur.

Hebr 13, 1-3. 5-7. 14-17 « *Non habemus hic manentem civitatem* ».

Audíte, fratres, verba epístolæ ad Hebrǽos.

Cáritas fraternitátis máneat. Hospitalitátem nolíte oblivísci, per hanc enim quidam nesciéntes hospítio recepérunt ángelos. Mementóte vinctórum tamquam simul vincti, laborántium tamquam et ipsi in córpore morántes. Sint mores sine avarítia; conténti præséntibus. Ipse enim dixit: « Non te déseram, neque derelínquam », ita ut confidénter dicámus: « Dóminus mihi adiútor est, non timébo; quid fáciet mihi homo? ». Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei, quorum intuéntes éxitum conversatiónis imitámini fidem. Non habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Per Christum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est fructum labiórum confiténtium nómini eius. Beneficiéntiæ autem et communiónis nolíte oblivísci, tálibus enim hóstiis oblectátur Deus. Obœdíte præpósitis vestris et subiacéte eis, ipsi enim pervígilant pro animábus vestris quasi ratiónem redditúri, ut cum gáudio hoc fáciant et non geméntes, hoc enim non éxpedit vobis.

[3] Cf. *Missale Romanum,* Ordo Lectionum Missæ, nn. 852-856.
[4] *Ibidem,* nn. 811-815.

528. Vel:

Io 1, 35-42 « *Apud Iesum mánserunt die illo* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Ioánnem.

Altera die íterum stabat Ioánnes et ex discípulis eius duo, et respíciens Iesum ambulántem dicit: « Ecce agnus Dei ». Et audiérunt eum duo discípuli loquéntem et secúti sunt Iesum. Convérsus autem Iesus et videns eos sequéntes se dicit eis: « Quid quǽritis? ». Qui dixérunt ei: « Rabbi — quod dícitur interpretátum Magíster —, ubi manes? ». Dicit eis: « Veníte et vidébitis ». Venérunt ergo et vidérunt ubi manéret, et apud eum mansérunt die illo, hora erat quasi décima. Erat Andréas frater Simónis Petri, unus ex duóbus, qui audíerant ab Ioánne et secúti fúerant eum. Invénit hic primum fratrem suum Simónem et dicit ei: « Invénimus Messíam », quod est interpretátum Christus; addúxit eum ad Iesum.

529. Pro opportunitate, dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus:

Ps 23 (24), 1-2. 3-4. 5-6
℟. (cf. 6) *Hæc est generátio quæréntium faciem tuam, Dómine.*

Ps 44 (45), 11-12. 14-15. 16-17
℟. (cf. Mt 25, 6) *Ecce sponsus venit: exíte óbviam Christo Dómino.*

Ps 83 (84), 3. 4. 5. 11. 12
℟. (2) *Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum!*

Ps 132 (133), 2. 3
℟. (1) *Ecce quam bonum et quam iucúndum habitáre fratres in unum.*

530. Deinde celebrans homiliam habet, in qua tum lectiones biblicas tum sensum celebrationis illustrat.

PRECES

531. Sequitur prex communis. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum vel adstantium adiuncta respiciant.

Christus Dóminus in médio discipulórum suórum ad finem usque témporum se mansúrum promísit: húmili ergo fidentíque amóre eum deprecémur:

℟. *Mane nobíscum, Dómine!*

Qui carnem ex Vírgine María de Spíritu Sancto assumpsísti et in nobis habitáre voluísti:
— Te grato ánimo in nostra recípimus. ℟.

Qui in civitáte Názareth
cum María et Ioseph habitáre voluísti:
— domum hanc habitatiónis tuæ locum elígere dignéris. ℟.

Qui promisísti te in médio eórum adfutúrum,
qui in nómine tuo congregántur:
— réspice nos quos amor tui congregávit in unum. ℟.

Qui in terris non habuísti ubi caput reclináres:
— accéptum hábeas hoc tibi amánter parátum domicílium. ℟.

Qui te in hospítibus benígne excipiéntes,
a te in ætérna tabernácula recéptos fore promisísti:
— doce nos te in frátribus agnóscere
eísque pro te læto ánimo servíre. ℟.

ORATIO BENEDICTIONIS

532. Tum celebrans immediate benedictionis orationem, manibus extensis, subiungit:

Deus, omnis sancti propósiti inspirátor et auctor,
preces nostras benígnus exáudi,

ut hanc domum habitántibus,
benignitátis tuæ grátiam largiáris:
sit in loco isto iúgis verbi tui meditátio,
mútua diléctio, návitas assídua,
ímpigrum in fratres obséquium,
ut qui se ad Christi sequélam devovérunt
se consecratiónis suæ vivum exhíbeant ómnibus documéntum.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

533. Vel:

Dómine Iesu Christe,
qui evangélica consília profiténtibus
mansiónem asseverásti esse in cælo parátam,
hanc quam benedícimus religiósæ famíliæ domum,
muro tuæ custódiæ prótege atque circúmda,
ut omnes in ea habitatúri
fratérnæ téneant compáginem caritátis,
tibíque et frátribus liberáliter serviéntes,
et Evangélii fiant sua vita præcónes
et christiánæ pietátis fóveant increméntum.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

534. Post orationem benedictionis, celebrans adstantes et domum aqua benedicta aspergit dum canitur antiphona (cf. App. n. 9):

Ant. Ubi cáritas est vera, Deus ibi est.

℣. Congregávit nos in unum Christi amor.
℣. Exsultémus et in ipso iucundémur.
℣. Timeámus et amémus Deum vivum.
℣. Et ex corde diligámus nos sincéro.

Ant. Ubi cáritas est vera, Deus ibi est.

℣. Simul ergo cum in unum congregámur:
℣. Ne nos mente dividámur, caveámus.
℣. Cessent iúrgia malígna, cessent lites.
℣. Et in médio nostri sit Christus Deus.

Ant. Ubi cáritas est vera, Deus ibi est.

℣. Simul quoque cum beátis videámus
℣. Gloriánter vultum tuum, Christe Deus:
℣. Gáudium, quod est imménsum atque probum,
℣. Sǽcula per infínita sæculórum.

vel alius cantus aptus.

CONCLUSIO RITUS

535. Deinde diaconus, pro opportunitate, adstantes ad benedictionem accipiendam invitat his vel similibus verbis:

Inclináte vos ad benedictiónem.

Tum celebrans, manibus super adstantes extensis, ritum concludit, dicens:

Deus, qui hanc domum nos inhabitáre concédit,
ab ómnibus perturbatiónibus
intérius exteriúsque custódiat,
consolatórem Spíritum Sanctum
in nos benígnus emíttat
et in sancto propósito,
quo nosmetípsos ei devovémus,
perseverántes reddat atque fidéles consérvet.

℟. Amen.

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

536. Vel:

Deus Pater omnípotens,
vos benedícat,
ut hæc sit habitátio sancta in qua
coram ipso ministrábitis.

℟. Amen.

Christus Dóminus
hábitet per fidem in córdibus vestris
et dispónat vobis regnum in domo Patris sui.

℟. Amen.

Spíritus Sanctus
in vobis sit et apud vos máneat,
ut quæ nunc in gáudio percípitis
eius múnere felíciter perficiátis.

℟. Amen.

Denique omnes adstantes benedicit, addens:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

537. Laudabiliter ritus apto cantu perficitur.

CAPUT XII

ORDO BENEDICTIONIS NOVÆ SCHOLÆ VEL STUDIORUM UNIVERSITATIS

PRÆNOTANDA

538. Scholas omnes, sive quæ inferiorem, sive quæ altiorem ordinem respiciunt, semper Ecclesia sedula cura prosequitur: in scholis enim discipulorum mentes aperiuntur eorumque animi efficaciter educantur. Hoc autem valet in primis de catholicis illis institutis, ubi adolescentes ac iuvenes non tantum culturam et humanam formationem acquirere, sed etiam spiritum Evangelii in dies alere possunt.

539. Hic, qui proponitur, Ordo benedictionis tum docentes, tum discentes tum omnes respicit qui quocumque modo de schola vel studiorum Universitate curam adhibent, necnon ipsam communitatem in cuius bonum nova schola vel Universitas erigitur; quos omnes celebrationi, quantum fieri potest, adesse præstat.

540. Hic Ordo adhiberi potest tum a sacerdote tum a diacono, qui ritus structura et præcipuis elementis servatis, adiunctis locorum et personarum celebrationem aptabunt.

541. In regionibus ubi benedictio scholarum tempore paschali vel alio tempore quotannis celebratur, ex elementis in hoc Ordine indicatis, et etiam in Ordine benedictionis puerorum, sub capite I, nn. 135-155 descripto, ita instruatur celebratio ut docentes ac discentes simul respiciat.

542. Hæc benedictio haberi potest etiam intra Missæ celebrationem. Si vero nova schola vel studiorum Universitas propria ditetur ecclesia, quæ vel dedicanda sit, vel benedicenda, opportune in litaniis vel oratione fidelium aptæ inseri possunt invocationes seu intentiones, domum ac scholæ navitatem spectantes.

I. ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

543. Communitate congregata loco apto, cani potest Psalmus 66 (67) vel alius aptus cantus. Quo expleto, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

544. Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Fons sapiéntiæ, Deus,
Verbum eius incarnátum, Christus Dóminus,
et Spíritus veritátis,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

545. Tum celebrans adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Deus scientiárum Dóminus multíplici nos ratióne condúcit ad profundiórem acquiréndam sui cognitiónem, quam in Fílio suo, pro nobis incarnáto, quodámmodo complévit. Disciplínæ autem, sciéntiæ atque doctrínæ omne genus, in quibus áltius perscrutándis, hóminum mentes incúmbunt, eo téndere debent, ut veritátem inveniámus et Deum verum adorémus. Super hanc ergo sedem veritátis inquiréndæ, addiscéndæ ac diffundéndæ, hódie Dei benedictiónem implorámus ut omnes qui púeros vel iunióres hic instituéndos excípient, eos

recte dóceant humánam sapiéntiam cum evangélica veritáte compónere, ita ut veram fidem et ipsi in ánimis custodíre et móribus et vita váleant profitéri. Id étiam nostra invocatióne quærémus ut discípuli in docéntibus Christum Magístrum ita præséntem invéniant, ut eruditióne atque doctrína sive humána sive divína ditióres effécti, ad fratres illuminándos et adiuvándos apti sint atque paráti.

LECTIO VERBI DEI

546. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit textum Sacrarum Scripturarum.

Mt 5, 1b. 2. 13-16 « *Vos estis lux mundi* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Cum sedísset Iesus, accessérunt ad eum discípuli eius; et apériens os suum docébat eos dicens: « Vos estis sal terræ; quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab hóminibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita; neque accéndunt lucérnam et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant vestra bona ópera et glorífícent Patrem vestrum qui in cælis est ».

547. Vel:

Prov 1, 1-7 « *Timor Domini principium scientiæ* ».
Parábolæ Salomónis fílii David ...

Sap 7, 7-20 « *Venerunt mihi omnia bona pariter cum sapientia* ».
Optávi et datus est mihi sensus ...

Sap 9, 1-6. 10-18 « *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam!* ».
Deus patrum meórum ... computábitur. *10* Emítte ...

Sir 1, 1-5. 22-25 « *Fons sapientiæ verbum Dei* ».
Omnis sapiéntia ... ætérna. *22* Coróna ...

Sir 51, 18-29 « *Danti mihi sapientiam dabo gloriam* ».
Cum adhuc iúnior essem ...

Eph 4, 11-24 « *Veritatem facientes in caritate* ».
Ipse Dóminus dedit quosdam apóstolos ...

Mt 11, 25-30 « *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis* ».
In illo témpore respóndens Iesus dixit: « Confíteor tibi ...

548. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 18B (19B), 8. 9. 10. 12
℟. (Io 6, 68c) *Dómine, verba vitæ ætérnæ habes.*

Ps 77 (78), 1-2. 3-4. 5 et 7
℟. (1 Cor 1, 30) *Christus Iesus factus est sapiéntia nobis a Deo.*

Ps 118 (119), 97-98. 99-100. 124-125
℟. (cf. 105) *Lumen sémitis meis verbum tuum, Dómine!*

Ps 138 (139), 1-2. 3-4. 5-6. 17-18
℟. (cf. 10) *Manus tua dedúcet me, Dómine.*

549. Celebrans, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

550. Sequitur prex communis. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum vel personarum adiuncta respiciant.

Cum inítium totíus sapiéntiæ sit timor Dómini, Deum invocémus ut quæcúmque sunt vera, quæcúmque iústa et mente discérnere possímus et móribus tenére. Súpplices ígitur dicámus:

℟. *Spíritum sapiéntiæ dona nobis, Dómine.*

a) *Pro schola*

Dómine Deus noster,
qui tanto nos es prosecútus amóre
ut fílii tui nominémur et simus,
— fac ut étiam humánis adhíbitis disciplínis,
sensum vocatiónis nostræ
et clárius percipiámus et plénius perpetrémus. ℟.

Qui in Christo Fílio tuo
novi hóminis exémplum præbuísti,
sapiéntia et ætáte et grátia proficiéntis,
— da ut, dum in dies humánis profícimus institútis,
dívinis étiam progrediámur efféctibus. ℟.

Qui ad hóminem plene efformándum
proximórum cooperatiónem disposuísti,
— concéde ut quotquot in nostram incúmbunt institutiónem,
ad bonum étiam commúne promovéndum
nos provocáre non désinant. ℟.

Qui dignitátis humánæ auctor es et vindex,
— præsta ut sanæ educatiónis benefícia
ad omnes hómines, ubíque terrárum, cítius extendántur. ℟.

b) *Pro Universitate*

Dómine Deus noster,
qui hóminem sapiéntiæ tuæ partícipem effecísti,
— concéde nobis ut,
quodvis humanitátis stúdium mere terréstre vitántes,
íntegram humánæ persónæ perfectiónem
assídue prosequámur. ℟.

Qui Fílium tuum, lucem veram
quæ illúminat omnem hóminem,

in mundum misísti
ut testimónium perhibéret veritáti,
— fac ut quæ sunt vera líbere inquiréntes,
ad humánæ societátis promotiónem
inventióne própria conférre possímus. ℟.

Qui, sapiénti consílio, communitátis humánæ unitátem
ab ipso salútis mystério
haud aliénam esse voluísti,
— da ut sciéntiæ proféctus atque doctrínæ,
ad hómines inter se uniéndos efficáciter conspíret. ℟.

Qui evangélicum nobis dedísti mandátum,
ut in fratrum servítium liberalíter impendámur,
— præsta ut ad hóminum iura apérte affirmánda,
concórdi ratióne, iúgiter laborémus. ℟.

Oratio benedictionis

551. Tum celebrans, manibus extensis, benedictionis orationem profert:

Dómine Deus omnípotens,
preces nostras cleménter exáudi,
ut hæc domus,
quæ humánæ iúvenum disciplínæ fovéndæ,
scientiárum progréssui provehéndo
et litterárum proficiéndæ eruditióni dicátur,
sedes fiat in qua discípuli atque magístri
verbis veritátis instrúcti,
christiánæ vitæ documénta secténtur
et Christo Magístro toto corde stúdeant adhærére.
Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

552. Vel:

Deus, qui hoc opus
ad humánas tradéndas disciplínas
nobis hódie auspicári concédis,
præsta, quǽsumus,
ut qui huc vel docéndi vel discéndi causa convénient,
et veritátem semper inquírant,
et veritátis fontem te unum agnóscant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

553. Post orationem benedictionis celebrans adstantes et domum aqua benedicta aspergit, dum fit cantus aptus.

Conclusio ritus

554. Tum celebrans ritum concludit, manibus super adstantes extensis, dicens:

Deus, scientiárum Dóminus,
vias suas nobis osténdat;
Christus, Sapiéntia ætérna,
verba nos veritátis edóceat;
Spíritus Sanctus, lux beatíssima,
mentes nostras semper illústret,
ut quæ recta sunt et bona discámus,
et, quæ didicérimus, ópere compleámus.

℟. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis
Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.

℟. Amen.

555. Tum celebrans, aut diaconus si adsit, pro opportunitate populum ad benedictionem accipiendam invitat his vel similibus verbis:

Inclináte vos ad benedictiónem.

Deinde celebrans, manibus super adstantes extensis, eos benedicit, dicens:

Deus scientiárum Dóminus
sua vos benedictióne confírmet.

℟. Amen.

Magíster unus Christus
ætérnæ vitæ verba vos edóceat.

℟. Amen.

Spíritus Sanctus Paráclitus
in omnem vos dedúcat veritátem.

℟. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis
Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.

℟. Amen.

556. Laudabiliter ritus apto cantu perficitur.

II. ORDO BENEDICTIONIS INTRA MISSÆ CELEBRATIONEM

557. In celebratione Missæ convenienter, servatis servandis, eliguntur orationes et lectiones ex Missis votivis de Spiritu Sancto.[5]

558. Post Evangelium celebrans homiliam habet, in qua ex textu sacro illustrat etiam sensum ritus. Expleta homilia, pro opportunitate, dicitur Symbolum.

[5] Cf. *Missale Romanum,* Ordo Lectionum Missæ, nn. 62-63, 764-768.

559. Oratio universalis haberi potest vel forma consueta in Missæ celebratione vel formulis in hoc ritu pro Precibus indicatis supra n. 550.

560. Oratione post Communionem peracta, celebrans adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Deum, scientiárum Dóminum, fratres caríssimi, humíliter exorémus ut omnes qui huc advénient, doctrínam et vitæ régulas in prælectiónibus inquiréntes, a Sancto Spíritu intus edoceántur, et Christum Dóminum áudiant in suo Evangélio Magístrum.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Deinde celebrans, manibus extensis, dicit:

Dómine Deus omnípotens,
preces nostras cleménter exáudi,
ut hæc domus,
quæ humánæ iúvenum disciplínæ fovéndæ,
scientiárum progréssui provehéndo
et litterárum proficiéndæ eruditióni dicátur,
sedes fiat in qua discípuli atque magístri
verbis veritátis instrúcti,
christiánæ vitæ documénta secténtur
et Christo Magístro toto corde stúdeant adhærére.
Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

561. Vel:

Deus, qui hoc opus
ad humánas tradéndas disciplínas
nobis hódie auspicári concédis,
præsta, quǽsumus,
ut qui huc vel docéndi vel discéndi causa convénient,
et veritátem semper inquírant,

et veritátis fontem te unum agnóscant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

562. Tum celebrans, vel diaconus si adsit, pro opportunitate populum ad benedictionem accipiendam invitat his vel similibus verbis:

Inclináte vos ad benedictiónem.

Deinde celebrans, manibus super adstantes extensis, eos benedicit, dicens:

Deus scientiárum Dóminus
sua vos benedictióne confírmet.

℟. Amen.

Magíster unus Christus
ætérnæ vitæ verba vos edóceat.

℟. Amen.

Spíritus Sanctus Paráclitus
in omnem vos dedúcat veritátem.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

563. Laudabiliter ritus cantu apto perficitur.

CAPUT XIII

ORDO BENEDICTIONIS NOVÆ BIBLIOTHECÆ

PRÆNOTANDA

564. Cum nova instruitur bibliotheca, quæ ad usum præsertim communitatis inserviat, opportuna occasio pastoralis præbetur aptam benedictionem impertiendi eiusque significationem in fidelium mentes revocandi.

565. Hic Ordo adhiberi potest tum a sacerdote tum a diacono, qui, ritus structura et elementis potioribus servatis, adiunctis loci et personarum celebrationem aptabunt.

566. In regionibus ubi, tempore paschali vel alio tempore, quotannis benedictio etiam in bibliothecis vel locis similibus impertitur, congrua instruatur celebratio, apte adhibitis elementis potioribus in hoc Ordine indicatis.

567. Semper tamen communitas ipsa vel aliqui saltem ab ea delegati ritum benedictionis participent.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

568. Communitate congregata, cani potest aptus cantus. Quo expleto, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

569. Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Dóminus Iesus, qui est via, véritas et vita,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

570. Tum celebrans adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Sermo Dei, qui ex ipsa Veritáte summa procédit et ad veritátem ducit, vivus et éfficax currit et clarificátur non tantum cum in prædicatióne audítur, verum étiam cum per libros et cétera communicatiónis sociális instruménta légitur et apprehénditur.
Deus enim corde hóminum desidérium accéndit conservándi in libris ceterísque instruméntis fructum humánæ investigatiónis, quæ ducit ad veritátem acquiréndam. Véritas autem modo singulári invenítur in libris Scriptúræ Sacræ, útpote divínitus inspirátis. Sed étiam libri, quibus hóminum cogitátio atque sermo alúntur, si ad veram cultúram diffundéndam, ad veritátem pénitus inquiréndam et ad ánimos honéste recreándos, scribúntur atque servántur, ex eódem divíno sapiéntiæ et bonitátis fonte semper aliquómodo quæ bona vulgant, háuriunt et quæ illústrant deprómunt. Id vero ex librórum lectióne obtinéri potest, ut véritas fiat vitæ disciplína, sapiéntia alat humilitátem et facílius ad mútuam consensiónem hómines inducántur.
Actiónem ídeo vestram in libris servándis ac diffundéndis tamquam formam veritátis nuntiándæ divína cónvenit benedictióne fulcíri.

LECTIO VERBI DEI

571. Deinde lector, vel unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit textum e Sacris Scripturis.

Col 3, 16-17 « *Omne quodcumque facitis in nomine Iesu gratias agentes Deo Patri per ipsum* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Colossénses.

Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia docéntes et commonéntes vosmetípsos psalmis, hymnis, cánticis spiritálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo; et omne, quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Iesu grátias agéntes Deo Patri per ipsum.

572. Ubi opportunum videtur, expositio haberi potest alicuius libri Sacræ Scripturæ, præsertim Evangeliorum; vel eiusdem Sacræ Scripturæ lectio longior, haud tamen omissa homilia ante orationem benedictionis.

573. Textus Sacræ Scripturæ qui adhiberi possunt:

Lc 1, 1-4 « *Ut cognoscas eorum verborum firmitatem* ».
Quóniam quidem multi ...

Lc 4, 16-22a « *Traditus est illi liber* ».
Venit Iesus Názareth ... *22 usque ad* de ore ipsíus.

Io 21, 24-25 « *Nec ipsum arbitror mundum capere eos qui scribendi sunt libros* ».
Ioánnes est discípulus ...

574. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 18B (19B), 8. 9. 10. 12
℟. (cf. Io 6, 63c) *Verba tua, Dómine, spíritus et vita sunt.*

Ps 76 (77), 12-13. 14-15. 16
℟. (15) *Tu es Deus, qui facis mirabília.*

575. Celebrans, pro opportunitate adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

Preces

576. Ubi opportunum videtur, ante orationem benedictionis, communis prex haberi potest. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

Dóminum nostrum, cuius verba, signa et mirabília et in rerum natúra ómnibus exhibéntur et libros sacros fide legéntibus scripta proferúntur, uno corde deprecémur dicéntes:

℟. *Da, Dómine, ut te semper quærámus*
et quæréntes inveniámus.

Christe, Redémptor noster, Verbum Patris
et Sapiéntia ætérna,
lux vera, quæ illúminat omnem hóminem,
— viam nobis veritátis osténde. ℟.

Qui Spíritum Sanctum discípulos tuos
omnem veritátem doctúrum promisísti,
ut divína mystéria áltius penetrárent,
— fac ut, eódem inspiránte et adiuvánte Spíritu,
ad omne opus bonum simus instrúcti. ℟.

Qui Názareth librum revolvísti
et proclamátum textum præséntibus explicásti:
— concéde ut veritátem semper inquirámus
eámque in caritáte faciámus. ℟.

Qui voluísti ut multa eórum quæ fecísti
scripto traderéntur, quátenus credámus,

et credéntes vitam in nómine tuo habeámus:
— præsta ut firma fide viam veritátis et salútis
frátribus libénter aperiámus. ℟.

Qui voluísti ut discípuli et fidéles tui
áliis tráderent quæ recte ac sapiénter cogitáverint:
— concéde ut dócili ánimo illos audiámus magístros,
quos tuo consílio et sana doctrína novérimus
esse replétos. ℟.

Qui dignus es accípere librum
et aperíre signácula eius:
— da ut in libro vitæ nómina nostra
scripta inveniántur. ℟.

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

577. Quando preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, celebrans his vel similibus verbis, divinum auxilium exposcit, dicens:

Deus, scientiárum Dómine,
dírige nos in veritáte tua.

℟. *Kýrie, eléison.*

Tu, Dómine, qui ómnia nosti,
vias tuas nobis demónstra.

℟. *Kýrie, eléison.*

Qui sapiéntia tua orbem terrárum constituísti,
quid apud te sit accéptum homínibus manifésta.

℟. *Kýrie, eléison.*

Da sédium tuárum assistrícem sapiéntiam,
ómnibus qui huc, lectiónis vel studiórum causa, convénient.

℟. *Kýrie, eléison.*

In divinárum humanarúmque rerum sciéntia
et in tui dilectióne,
omnes huc accedéntes, in dies profícere concéde.

℟. *Kýrie, eléison.*

---

578. Tum celebrans, manibus extensis, orationem benedictionis profert:

Magnus es, Dómine, Deus noster,
qui multifárie multísque modis
incessánter homínibus te revélas
et verba tua in Scriptúra divínitus inspiráta
nobis trádere dignátus es:
adésto ergo précibus nostris et concéde,
ut quotquot hanc bibliothécæ sedem,
ad sciéntias et artes excoléndas adíerint,
sapiéntiæ Verbi tui iúgiter sérviant,
et in vera doctrína probe versáti,
ad mundum humánius exstruéndum assídue adlabórent.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

579. Post orationem benedictionis, celebrans adstantes et loca aqua benedicta aspergit.

Conclusio ritus

580. Tum celebrans ritum concludit, manibus super adstantes extensis, dicens:

Deus, scientiárum Dóminus,
vias suas nobis osténdat;
Christus, Sapiéntia ætérna,

verba nos veritátis edóceat;
Spíritus Sanctus, lux beatíssima,
mentes nostras semper illústret,
ut quæ recta sunt et bona discámus,
et, quæ didicérimus, ópere compleámus.

℟. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.

℟. Amen.

581. Laudabiliter ritus apto cantu perficitur.

CAPUT XIV

ORDO BENEDICTIONIS NOVI NOSOCOMII VEL CUIUSVIS DOMUS ÆGROTIS CURANDIS APTATÆ

PRÆNOTANDA

582. Omnes domus ad curandos ægrotos exstructæ, iure tamquam signum haberi possunt fidelitatis qua evangelicum mandatum de infirmis curandis a Christi discipulis servatur.

In huiusmodi domibus auspicandis, opportuna præbetur occasio pastoralis, ad communitatem christianam congregandam, quo melius infirmitatis significatio et medicæ artis momentum in divinæ providentiæ dispensatione a fidelibus percipiatur.

583. Hæc celebratio non directe infirmos sed illos potius respicit qui infirmis quovis modo assistunt et serviunt. Quare benedictio nosocomii ne fiat sine participatione medicorum et aliorum qui infirmis curandis operam suam studiumque navant.

584. Hic Ordo adhiberi potest tum a sacerdote tum a diacono, qui, ritus structura et elementis potioribus servatis, semper quædam elementa sumere possunt ut celebratio adiunctis loci et personarum melius accommodetur.

585. In regionibus ubi quotannis tempore paschali vel alio peculiari tempore benedictio celebratur in nosocomiis vel valetudinariis, ex elementis potioribus in hoc Ordine indicatis et in Ordine benedictionis infirmorum, sub capite II, nn. 294-316 posito, celebratio instruatur quæ respiciat tum infirmos tum medicos et infirmarios.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

586. Communitate loco apto congregata, post congruum cantum celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

587. Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Dóminus Iesus,
qui discípulis suis commendávit
ut infírmos curárent
eísque levámen afférrent,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

588. Tum celebrans adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis, qui per Fílium suum in Spíritu Sancto nos consolátur, hómines in omni tribulatióne, infírmos et eos, qui infírmis quovis modo assístunt et sérviunt, peculiári proséquitur amóre et benedictióne.
Etenim infírmi non solum in carne sua adímplent ea quæ desunt passiónum Christi pro Córpore eius, quod est Ecclésia, sed ipsíus Christi persónam singuláriter éxprimunt, qui

dixit se ita in infírmis esse præséntem, ut quod illis præbétur obséquium, sibimetípsi prǽstitum æstimáret.
Iure ergo super cunctos, qui in hac domo vel (degunt) degent infírmi, vel in infírmos curándos se generóse (impéndunt) impéndent, ideóque super domum istam, ægrótis curándis aptátam, benedictiónem divínam implorémus.

LECTIO VERBI DEI

589. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit textum Sacrarum Scripturarum:

Mt 4, 23-25 « *Obtulerunt Iesu male habentes et curavit eos* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Circumíbat Iesus totam Galilǽam, docens in synagógis eórum et prǽdicans evangélium regni et sanans omnem languórem et omnem infirmitátem in pópulo. Et ábiit opínio eius in totam Sýriam; et obtulérunt ei omnes male habéntes, váriis languóribus et torméntis comprehénsos, et qui dæmónia habébant et lunáticos et paralýticos, et curávit eos. Et secútæ sunt eum turbæ multæ de Galilǽa et Decápoli et Hierosólymis et Iudǽa et de trans Iordánem.

590. Vel:

Sir 38, 1-14 « *Medicum creavit Altissimus* ».
Honóra médicum propter necessitátem ...

2 Cor 1, 3-7 « *Deus totius consolationis* ».
Benedíctus Deus et Pater ...

Mt 25, 31-46 « *Infirmus eram et visitastis me!* ».
Cum vénerit Fílius hóminis ...

Lc 10, 30-37 « *Fecit misericordiam in illum* ».
Suscípiens Iesus dixit: « Homo quidam ...

591. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Is 38, 10. 11. 12a-d. 16
℟. (cf. 17b) *Tu, Dómine, eruísti ánimam meam ut non períret.*

Ps 101 (102), 2-3. 24-25
℟. (2) *Dómine, exáudi oratiónem meam,*
et clamor meus ad te véniat.

592. Celebrans, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

593. Sequitur prex communis. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum vel personarum adiuncta respiciant.

Christo Dómino, qui in mundum venit ut ægrótos sanáret et consolarétur afflíctos, humíliter supplicémus:

℟. *Bénedic, Dómine, eos qui in te confídunt!*

Qui venísti curáre infírmos
et sanáre contrítos corde:
— hanc domum ingrédere ad infírmos curándos ædificátam. ℟.

Qui prǽdicans Evangélium regni,
sanábas omnem infirmitátem in pópulo:
— misericórdiam et bonitátem tuam ómnibus osténde. ℟.

Qui ægrótos tangébas et sanabántur:
— infírmos hic recipiéndos (recéptos)
grátiæ tuæ dono susténta. ℟.

Qui Apóstolis tuis mandátum dedísti
ut infírmos curárent:

— Ecclésiæ tuæ preces exáudi,
quibus pro infírmis levaméntum implórat. ℟.

Qui divínam promisísti te datúrum mercédem,
iis qui in nómine tuo ægrótos invíserint et alleváverint:
— adáuge in nobis miseratiónis afféctum,
ut in frátribus infírmis te semper videámus et diligámus. ℟.

ORATIO BENEDICTIONIS

594. Tum celebrans, manibus extensis, benedictionis orationem profert:

Dómine, Deus noster,
cuius Fílius, Spíritus Sancti operánte virtúte,
infirmitátes nostras languorésque sanávit,
et discípulos mittens ad Evangélium prædicándum
præcépit eis ut infírmos invíserent atque curárent,
præsta nobis, quǽsumus,
ut omnes qui hic degent (degunt) infírmi,
a médicis eorúmque adiutóribus
pia comitáte excipiántur
et assídua navitáte curéntur
ut hinc discedéntes,
mentis et córporis sanitáte donáti,
misericórdiam tuam sine fine colláudent.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

595. Vel:

Benedíctus es, Deus et Pater noster,
qui per Fílium tuum
pópulo in vitæ novitáte ambulánti
ægrotántium curam misericórditer commisísti;
votis iúgiter nostris adésto propítius:

sit locus iste, grátia Sancti Spíritus,
benedictiónis domus et sedes caritátis:
hic médici artem medéndi sapiénter exérceant,
hic infirmórum minístri servítium suum
sollícite præstent,
huc fidéles advéniant
Christum in frátribus invisúri,
ut infírmi, in sua ægritúdine confortáti,
cítius possint ad sanitátem redíre
et alácrius de accépto benefício grátias ágere.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

596. Post orationem benedictionis, celebrans adstantes et domum aqua benedicta aspergit, dum fit cantus aptus.

CONCLUSIO RITUS

597. Tum celebrans ritum concludit, manibus super adstantes extensis, dicens:

Deus, mæréntium consolátor
languidorúmque præsídium,
qui vos congregávit ad hanc domum auspicándam,
infírmis curándis dédita ópera præparátam,
sua vos grátia confírmet,
ut frátribus ægrótis sédula caritáte assidéntes,
in ipsis Christo Dómino fidéliter serviátis.
Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.
℟. Amen.

598. Laudabiliter ritus apto cantu perficitur.

CAPUT XV

ORDO BENEDICTIONIS OFFICII, OFFICINÆ LABORIS, EMPTORII

PRÆNOTANDA

599. Manuum suarum labore, homo creationis opus indesinenter curat. Eodem modo « progressus in rationibus producendis atque in bonis ac servitiis commutandis, œconomiam aptum effecerunt instrumentum, quo adauctis familiæ humanæ necessitatibus melius provideri possit ».[6] Iure ergo meritoque loca benedicuntur, ubicumque homines ad proprium aliorumque bonum assidue adlaborant.

600. Hæc celebratio spectat tum ad communitatem in cuius bonum novæ officinæ, officia atque emptoria instruuntur, tum ad omnes qui in ipsis opus præstabunt. Ad benedictionem ergo celebrandam, præsentia requiritur et communitatis vel quorundam saltem legatorum, qui ipsius communitatis partibus fungantur, et eorum qui in illis quovis modo adlaborabunt.

601. Hic Ordo adhiberi potest tum a sacerdote tum a diacono, qui, ritus structura et elementis potioribus servatis, adiunctis loci et personarum celebrationem aptabunt.

602. In regionibus ubi, quotannis tempore paschali vel alio tempore, opportunum videtur, benedictionem etiam in dictis locis impertire, congrua instruatur celebratio, apte adhibitis elementis potioribus in hoc Ordine indicatis.

[6] Cf. Conc. Vat. II, Const. pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis, *Gaudium et spes*, n. 63.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

603. Communitate loco apto congregata, post congruum cantum celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

604. Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Deus, qui hóminem constítuit
super ópera mánuum suárum,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

605. Tum celebrans adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Magnam labóris dignitátem Christus Iesus maniféstam réddidit cum et ipse, Patris Verbum, caro factum, fílius fabri vocári dignátus est propriísque mánibus fabrília quæque humíliter vóluit exercére, quibus et véterem peccáti maledictiónem ábstulit et hóminum labórem fontem réddidit benedictiónis.
Etenim homo, labórem suum atque ómnia, quæ órdinem temporálem affíciunt, fidéliter exércens Deóque humíliter illum ófferens, se ipsum puríficat, opus creatiónis sua mente ac indústria evólvit, caritátem operátur, pauperióres adiuváre

potest et, Christo redemptóri consociátus, in eius amóre perfícitur.
Deum ergo benedicámus, eúmque rogémus ut benedictiónem suam effúndat super omnes qui his in locis opus suum præstábunt.

LECTIO VERBI DEI

606. Deinde lector, vel unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit textum Sacrarum Scripturarum.

Gen 1, 27-31a « *Replete terram et subicite eam* ».

Audíte, fratres, verba libri Génesis.

Creávit Deus hóminem ad imáginem suam; ad imáginem Dei creávit illum; másculum et féminam creávit eos. Benedixítque illis Deus et ait illis Deus: « Créscite et multiplicámini et repléte terram et subícite eam et dominámini píscibus maris et volatílibus cæli et univérsis animántibus, quæ movéntur super terram ». Dixítque Deus: « Ecce dedi vobis omnem herbam afferéntem semen super terram et univérsa ligna, quæ habent in semetípsis fructum ligni portántem seméntem, ut sint vobis in escam et cunctis animántibus terræ omníque vólucri cæli et univérsis, quæ movéntur in terra et in quibus est ánima vivens, omnem herbam viréntem ad vescéndum ». Et factum est ita. Vidítque Deus cuncta, quæ fecit, et ecce erant valde bona.

607. Vel:

Mc 6, 1-3 « *Nonne iste est faber, filius Mariæ?* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Marcum.

In illo témpore, egréssus est Iesus inde et venit in pátriam suam, et sequúntur illum discípuli sui. Et facto sábbato,

cœpit in synagóga docére; et multi audiéntes admirabántur dicéntes: « Unde huic hæc, et quæ est sapiéntia, quæ data est illi, et virtútes tales quæ per manus eius efficiúntur? Nonne iste est faber, fílius Maríæ et frater Iacóbi et Iosétis et Iudæ et Simónis? Et nonne soróres eius hic nobíscum sunt? ». Et scandalizabántur in illo.

608. Vel:

Sir 38, 25-39 « *Cor suum dabit in consummationem operum* ».
Sapiéntia scribæ ...

1 Th 4, 9-12 « *Rogamus vos ut operemini manibus vestris* ».
De caritáte fraternitátis ...

2 Th 3, 6-13 « *Non gratis panem manducavimus sed in labore et fatigatione, nocte et die operantes* ».
Præcípimus vobis ...

Mt 6, 25-34 « *Scit Pater vester cœlestis quia his omnibus indigetis* ».
In illo témpore, dicit Iesus discípulis suis: « Ne sollíciti ...

Mt 25, 14-29 « *Operatus est in eis et lucratus est alia* ».
In illo témpore, dicit Iesus discípulis suis: « Homo péregre ...

Lc 16, 9-12 « *Qui fidelis est in minimo, et in maiori fidelis est* ».
In illo témpore, dicit Iesus: « Fácite vobis amícos ...

609. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 89 (90), 2. 3-4. 12-13. 14 et 16
℟. (17c) *Opus mánuum nostrárum confírma, Dómine.*

Ps 103 (104), 1ab et 5. 14-15. 23-24
℟. (31) *Sit glória Dómini in sǽculum,*
lætétur Dóminus in opéribus suis.

610. Celebrans, pro opportunitate adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

611. Ubi opportunum videtur, ante orationem benedictionis, communis prex haberi potest. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

Dóminus noster qui mundum creávit, eúmque virtútis suæ signis mirabíliter implévit, hóminum étiam labóris sanctificávit exórdia, ut ipsi, Creatóris bonitáti humíliter obsequéntes, creatiónis óperi in dies perficiéndo se assídua cura dicárent. Eum ergo supplíciter exorémus:

℟. *Opus mánuum nostrárum, Dómine, dirígere dignéris.*

Benedíctus es, Dómine,
qui nobis legem labóris dedísti,
ut mente operántes et brácchio
in res creátas perficiéndas eníxe incumbámus. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui voluísti ut Fílius tuus
caro pro nobis factus,
fabrílem artem humíliter exercéret. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui labóris nostri iugum
in Christo suáve reddidísti, onúsque leve. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui providéntia tua nos urges ut labóre nostro
perfectíssima quæque semper moliénda curémus. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui labóris nostri oblatiónem benígnus accípere dignéris
ut nobis ad pæniténtiæ bonum profíciat,
frátribus præstet lætítiam,
et ad páuperes sublevándos concúrrat. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui panem et vinum, fructum nostri labóris,
ad Eucharístiæ dignitátem subleváre dignátus es. ℟.

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

612. Quando Preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, celebrans omnes ad orandum invitat, ut divinum exposcant auxilium, dicens:

Orémus.

et pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Sequitur oratio benedictionis.

ORATIO BENEDICTIONIS

613. Tum celebrans, manibus extensis, benedictionis orationem profert:

a) *Benedictio officii*

Deus, qui providéntiæ tuæ consílio,
omnes hóminum navitátes
sive córpora spectántes sive mentes,
tuis non rénuis benedictiónibus cumuláre,
præsta ut quotquot in hac sede
quæstiónibus explorándis
nodísque studúerint dissolvéndis,
auxílio tuo suffúlti,
et quæ investigáverint defíniant
et defínita cómiter exsequántur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

b) *Benedictio officinæ laboris*

Deus, cuius Fílius fabrília mánibus suis exércens,
labóris humáni éxtulit dignitátem,
nobis quoque prǽstitit ut suæ redemptiónis óperi
labóre nostro ineffabíliter sociarémus,
fidéles tuos desideráta benedictióne confírma,
ut, qui in rebus a te creátis,
áffabre transformándis incúmbunt,
dignitátem suam agnóscant,
et humánæ famíliæ provehéndæ
in laudem glóriæ tuæ
se gáudeant esse dicátos.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

c) *Benedictio emptorii*

Deus, providentíssime Pater,
qui terram eiúsque fructus homínibus tradidísti,
ut ad bona creáta ómnibus providénda
suo labóre prospícerent;
bénedic omnes qui has structúras adíbunt,
quátenus, iustítia et caritáte
in rebus vendéndis emendísque serváta,
se boni commúnis prǽbeant artífices,
ac terrénæ civitátis proféctus
se gáudeant esse fautóres.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

614. Post orationem benedictionis, celebrans adstantes et loca aqua benedicta aspergit, dum cantus aptus canitur.

CONCLUSIO RITUS

615. Tum celebrans ritum concludit, manibus super adstantes extensis, dicens:

Deus, bonitátis Pater,
qui mandávit unicuíque de próximo suo,
ut frater a fratre in ómnibus adiuvarétur,
vos et omnes huc ingressúros
sua benignitáte respíciat.

℟. Amen.

Deinde dicit:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

616. Laudabiliter ritus cantu apto perficitur.

CAPUT XVI

ORDO BENEDICTIONIS ÆDIUM AD COMMUNICATIONES SOCIALES PROMOVENDAS

PRÆNOTANDA

617. Peculiari sollicitudine Mater Ecclesia ea excipit et prosequitur technicæ artis inventa, quæ hominis animum potissimum respiciunt. E quibus inventis ea eminent instrumenta, quæ non modo singulos homines, sed ipsas multitudines totamque humanam societatem afficere valent, sicut prelum, cinematographum, radiophonia, televisio et alia huiusmodi, quæ instrumenta communicationis socialis merito vocantur. Benedictio ædium ac instrumentorum huiusmodi communicationis, forma quædam est curæ vigilantis ipsius Ecclesiæ, ut hæc recte adhibeantur.

618. Hæc celebratio spectat tum ad communitatem in cuius bonum hæ ædes ac instrumenta eriguntur, tum præsertim ad omnes qui quocumque modo in ipsis et per ipsa nuntios, cogitata ac varii generis productionem inter homines communicabunt. Ad benedictionem ergo celebrandam præsentia requiritur, et communitatis vel quorundam saltem legatorum, qui ipsius communitatis partibus fungantur, et aliquorum ex illis qui ædes ac instrumenta dirigunt, vel in eis quovis modo adlaborabunt.

619. Hic Ordo adhiberi potest tum a sacerdote tum a diacono, qui, ritus structura et elementis potioribus servatis, semper quædam elementa sumere possunt ut celebratio adiunctis loci et personarum melius accommodetur.

620. In regionibus ubi, quotannis tempore paschali vel alio tempore, opportunum videtur benedictionem etiam in dictis locis impertire, congrua instruatur celebratio, apte adhibitis elementis potioribus in hoc Ordine indicatis.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

621. Communitate congregata, fieri potest cantus aptus, quo expleto, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

622. Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Deus, qui Fílium suum nobis misit, salútis núntium, et Spíritum veritátis in córdibus nostris semper effúndit, sit cum ómnibus vobis.

vel alia verba apta e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

623. Tum celebrans adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Deus, cuius sapiéntiæ non est númerus et bonitátis infinítus est thesáurus, hóminum mentes incessánter illúminat ut novas apériant vias, quibus ipsi cuiúsvis géneris núntia facílius inter se communicáre possint. Hæc téchnicæ artis invénta, si recte adhibéntur, humáno géneri válida prǽbent subsídia, quippe quæ multum cónferant non solum ad auxílium in necessitátibus opportúne præstándum, sed étiam ad excoléndos ánimos eósque relaxándos et, data occasióne, ad Dei regnum propagándum atque firmándum.

LECTIO VERBI DEI

624. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit textum Sacrarum Scripturarum.

Mc 16, 14a. 15-20 « *Prædicate Evangelium omni creaturæ!* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Marcum.

Recumbéntibus úndecim, appáruit Iesus et dixit eis: « Eúntes in mundum univérsum, prædicáte evangélium omni creatúræ. Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit; qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequéntur: in nómine meo dæmónia eícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent, et, si mortíferum quid bíberint, non eos nocébit, super ægrótos manus impónent et bene habébunt ».
Et Dóminus quidem Iesus, postquam locútus est eis, assúmptus est in cælum et sedit a dextris Dei. Illi autem profécti prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte et sermónem confirmánte, sequéntibus signis.

625. Vel:

Bar 3, 29-36 « *Qui scit omnia, novit sapientiam* ».
Qui ascéndit in cælum et accépit sapiéntiam ...

Phil 4, 8-9 « *Quæcumque sunt vera, pudica, iusta, amabilia, bonæ famæ, hæc cogitate!* ».
Quæcúmque sunt vera, quæcúmque pudíca ...

Heb 4, 12-16 « *Omnia nuda et aperta sunt oculis Dei* ».
Vivus est Dei sermo ...

Mt 5, 1b. 2. 13-16 « *Vos estis sal terræ, lux mundi!* ».
Cum sedísset Iesus ... docébat eos dicens: *13* « Vos estis ...

626. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 8, 4-5. 6-7a. 7b-9
℟. (2ab) *Dómine, Dóminus noster,*
quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

Ps 18A (19A), 2-3. 4-5.
℟. (5) *In omnem terram exívit sonus eórum*
et in fines orbis terræ verba eórum.

Ps 103 (104), 24. 31-32. 33-34
℟. (24c) *Impléta est terra creatúra tua, Dómine!*

627. Celebrans, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

628. Ubi opportunum videtur, ante orationem benedictionis, communis prex haberi potest. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

Facílior ac rectus usus artis inter se communicándi valde confert ad humánæ famíliæ progréssum promovéndum, sed et Dei consílio óptime cóngruit, qui hómines vult in veritáte et libertáte coniúnctos. Dei ergo mirabília una voce proclamémus dicéntes:

℟. *Quam mirabília sunt ópera tua, Dómine!*

Benedíctus es, Dómine, sapiéntia ætérna,
qui hóminum mentes illúminas
eorúmque incépta tua benedictióne proséqueris. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui per visibília ad invisibília inquirénda
in dies nos állicis. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui te quæréntibus
omnipoténtiæ tuæ secréta reveláre non désinis. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui hómines impéllis
ut natúræ mystéria perscrutántes,
te ipsíus auctórem quærant atque colláudent. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui fílios tuos, peccáto dispérsos,
in Christo congregári voluísti,
ut unam úndique famíliam effíciant. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui Evangélium regni ómnibus vis géntibus prædicári
ut te Deum verum agnóscant
et quem misísti Iesum Christum,
Fílium tuum, Dóminum nostrum. ℟.

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

629. Quando preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, celebrans dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Deinde celebrans benedictionis orationem profert.

ORATIO BENEDICTIONIS

630. Tum celebrans, manibus extensis, benedictionis orationem profert:

Te humíliter benedícimus,
Dómine Deus omnípotens,
qui hómines illúminas et éxcitas,
ut a te cóndita natúræ mystéria perscrutántes,

opus tuum mirabíliter perfíciant:
fámulos tuos, Dómine, réspice benígnus,
qui his uténtur téchnicis instruméntis
diutúrno stúdio áffabre comparátis:
fac ut veritátem commúnicent,
alant caritátem, iustítiam defendant,
lætítiam quoque diffúndant,
et inter omnes pacem illam fóveant atque confírment,
quam nobis e cælis áttulit Christus Dóminus,
qui tecum vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

631. Post orationem benedictionis, pro opportunitate, celebrans adstantes et loca aqua benedicta aspergit, dum cantus aptus peragitur.

Conclusio ritus

632. Tum celebrans ritum concludit dicens, manibus super adstantes extensis:

Creátor ómnium Deus,
qui mirabília iúgiter operátur,
mentes nostras illúminet,
ut eum plénius agnoscámus,
et ad veritátis et pacis increméntum
constántes adlaborémus.

℟. Amen.

Deinde dicit:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

633. Laudabiliter ritus cantu apto perficitur.

CAPUT XVII

ORDO BENEDICTIONIS ÆDIUM ET LOCORUM CORPORIBUS EXERCITANDIS

PRÆNOTANDA

634. Corporum exercitationes adhibentur ad corporis sanitatem roborandam, ad animi æquilibrium servandum necnon ad fraternas relationes inter homines cuiuscumque stirpis vel nationis vel condicionis apprime fovendas. Ad quæ in mentem revocanda, opportune potest fieri celebratio benedictionis, occasione data inaugurationis ædium et locorum quæ corporibus exercitandis destinantur præsertim si hæc a christifidelibus peculiariter adhibenda sunt.

635. Hæc celebratio respicit tum illos in cuius commodum ædes et fabricæ exstructæ sunt, tum illos qui eas dirigunt vel in eis quovis modo adlaborant. Ideo benedictio sine illorum præsentia ne fiat.

636. Hic Ordo adhiberi potest tum a sacerdote tum a diacono, qui, ritus structura et elementis potioribus servatis, adiunctis loci et personarum celebrationem aptabunt.

637. In regionibus ubi, tempore paschali vel alio tempore, opportunum videtur quotannis benedictionem celebrare etiam in ædibus et locis corporibus exercitandis, apta instruatur celebratio ex elementis potioribus in hoc Ordine indicatis.

ORDO BENEDICTIONIS

638. Initio celebrationis, communitate congregata, fieri potest cantus aptus, quo expleto, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

639. Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Deus, fons et orígo ómnium rerum,
a quo bona cuncta nobis véniunt,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

640. Tum celebrans adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Dóminus vires nobis dedit ut in lætítia ipsi serviámus, fratres adiuvémus, corpúsque nostrum Dei legi subiéctum, ad omne opus bonum aptum reddámus. Ideo étiam quæ ótia fiunt ad ánimum relaxándum et ad corpus exercéndum, a Deo sine dúbio probántur. Dum enim córpori roborándo consúlitur, ánimi étiam æquilíbrio favétur consequéndo, quo fratérnitas facílius instaurátur ac cómitas augétur.

LECTIO VERBI DEI

641. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit textum Sacrarum Scripturarum.

1 Cor 9, 24-27 « *Sic currite ut comprehendatis* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Corínthios.

Nescítis quod hi, qui in stádio currunt, omnes quidem currunt, sed unus áccipit bravíum? Sic cúrrite, ut comprehen-

dátis. Omnis autem, qui in agóne conténdit, ab ómnibus se ábstinet, et illi quidem, ut corruptíbilem corónam accípiant, nos autem incorrúptam. Ego ígitur sic curro non quasi in incértum, sic pugno non quasi áerem vérberans; sed castígo corpus meum et in servitútem rédigo, ne forte, cum áliis prædicáverim, ipse réprobus effíciar.

642. Vel:

1 Cor 3, 16-17 « *Templum Dei estis* ».
Nescítis quia templum Dei estis ...

1 Cor 6, 19-20 « *Glorificate Deum in corpore vestro* ».
An nescítis quóniam corpus vestrum ...

Phil 3, 12-15 « *Ad destinatum persequor* ».
Non quod iam accéperim ...

643. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 99 (100), 2. 3. 4. 5
℟. (3c) *Nos pópulus eius et oves páscuæ eius.*

Ps 148, 5-6. 11-13b. 13c-14
℟. *Pleni sunt cæli et terra glória tua.*

644. Celebrans, pro opportunitate adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

Preces

645. Ubi opportunum videtur, ante orationem benedictionis, communis prex haberi potest. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

Dóminus Iesus, gáudium et fortitúdo nostra, hómines univérsos ad se vocat, ut qui labórant et sunt oneráti, in eius

dilectióne manéntes suáviter reficiántur. Illum ígitur fidénter invocémus:
℟. *Trahe nos ad te, Dómine!*

Qui vita es ómnium quos tuo sánguine redemísti:
℟. *Trahe nos ad te, Dómine!*

Qui debílium es fortitúdo et fórtium remunerátio:
℟. *Trahe nos ad te, Dómine!*

Qui pertransísti benefaciéndo et sanándo omnes:
℟. *Trahe nos ad te, Dómine!*

Qui Spíritum tuum ad nos mittis roborántem Paráclitum:
℟. *Trahe nos ad te, Dómine!*

Qui in tui fratrúmque caritáte veræ lætítiæ fontem posuísti:
℟. *Trahe nos ad te, Dómine!*

Qui preces nostras exáudis ut gáudium nostrum sit plenum:
℟. *Trahe nos ad te, Dómine!*

Qui vis ut in te cor unum simus et ánima una:
℟. *Trahe nos ad te, Dómine!*

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

646. Quando preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, celebrans dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Deinde celebrans benedictionis orationem profert.

ORATIO BENEDICTIONIS

647. Tum celebrans, manibus extensis, orationem benedictionis profert:

Te, Dómine, sine intermissióne laudámus,
qui miro órdine ómnia dispénsas,

hóminum quoque labóres atque negótia prudénter témperas
et córpora mentésque fatigáta
quiétis refrigério et honéstis oblectaméntis
relaxári concédis.
Cleméntiam ergo tuam eníxe, Dómine, implorámus
ut hæc spátia conveniénter aptáta,
ótiis fáveant ad ánimum relaxándum,
et ad mentis et córporis sanitátem firmándam,
quátenus omnes, huc conveniéntes,
fratérna inter se conversatióne diténtur,
et in lætítia te rite colláudent.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

648. Post orationem benedictionis, pro opportunitate, celebrans adstantes et loca aqua benedicta aspergit, dum cantus aptus peragitur.

CONCLUSIO RITUS

649. Tum celebrans ritum concludit, manibus super adstantes extensis, dicens:

Deus, qui ómnium mentes illúminat
et córporis réficit vires,
ópera dírigat nostra,
ut cordis lætítiam
et animórum consensiónem
plénius in dies habeámus.

℟. Amen.

Deinde dicit:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

650. Laudabiliter ritus cantu apto perficitur.

CAPUT XVIII

ORDO BENEDICTIONIS OMNIUM QUÆ ITINERANTIBUS HOMINIBUS DESTINANTUR

PRÆNOTANDA

651. Hominum vita validum invenit adiutorium in instrumentis adhibendis, quæ spatia reddunt breviora atque conventum, unionem mutuamque communicationem inter homines permittunt, quæque modo generali indicari possunt ut instrumenta itinerantibus hominibus destinata. Inter hæc habenda sunt v. gr. via, platea, pons, via ferrea, portus, vehicula cuiusvis generis, navis et navigium aereum.

Cum in huiusmodi instrumentis adhibendis mutuorum officiorum conscientia perficiatur, idonea præbetur occasio ad Deum benedicendum et etiam una simul orandum pro hominibus, qui iisdem utuntur.

652. Ordo, qui hic præbetur, adhiberi potest occasione data inchoandi instrumenta illa, quæ quovis modo hominibus itinerantibus destinantur. Attamen sicubi, statutis diebus, usus habetur ecclesiam adeundi rædis automatariis vel ceteris vehiculis seu instrumentis locomotionis ad benedictionem divinam implorandam, quæ sit pignus protectionis Dei in itineribus ineundis, peculiaris celebratio fieri potest, elementa sumendo ex hoc Ordine.

653. Benedictio viarum, pontium, platearum, viarum ferrearum spectat ad communitatem in cuius bonum illa instruuntur. Ideoque præsentia requiritur vel communitatis, vel saltem quorumdam legatorum, qui ipsius communitatis partibus funguntur.

654. Hic Ordo adhiberi potest tum a sacerdote, tum a diacono et etiam a laïco, ritibus tamen et formulis pro ipso prævisis.

655. Ex hoc Ordine, semper servatis structura ritus ac potioribus elementis, quædam sumi possunt ut celebratio adiunctis loci et personarum accommodetur.

656. Cum unum vehiculum sit benedicendum, Ritus brevior adhiberi potest, qui infra proponitur, nn. 673-677.

I. ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

657. Communitate congregata, fieri potest cantus aptus, quo expleto, minister dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

658. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, adstantes salutat, dicens:

Dóminus, qui est via, véritas et vita,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

---

659. Si vero minister est laicus, adstantes salutat dicens:

Dóminum Iesum Christum,
qui est via, véritas et vita,
concórdes benedicámus.

Omnes respondent:

Amen.

---

660. Tum minister adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Christus, Dei Fílius, venit in mundum ut qui erant dispérsi, congregáret in unum. Quidquid ergo ad hómines inter se uniéndos condúcit, Dei consílio respondére vidétur: quos enim vel montes dívidunt vel aquæ seclúdunt vel étiam nímiæ séparant locórum distántiæ, novæ structæ viæ nováque vehéndis homínibus invénta, abláta dissociatióne coniúngunt. Dóminum ígitur invocémus ut iis benedícat qui hanc óperam molíti sunt et eos, qui eádem uténtur, suo benígnus tueátur auxílio.

LECTIO VERBI DEI

661. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse minister legit textum Sacrarum Scripturarum, ita selectum ut congruenter peculiaria rerum adiuncta respiciat.

Io 14, 6-7 « *Ego sum via, veritas et vita* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Ioánnem.

Dixit Iesus discípulis suis: « Ego sum via et véritas et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Si cognovístis me, et Patrem meum útique cognoscétis; et ámodo cognóscitis eum et vidístis eum ».

662. Vel:

Act 17, 22-28 « *In ipso vivimus et movemur et sumus* ».

Audíte, fratres, verba Actuum Apostolórum.

Stans Paulus in médio Areopági ait: « Viri Atheniénses, per ómnia quasi superstitiosióres vos vídeo; prætériens enim et videns simulácra vestra invéni et aram in qua scriptum erat: « Ignóto deo ». Quod ergo ignorántes cólitis, hoc ego annúntio vobis. Deus qui fecit mundum et ómnia, quæ in eo sunt,

hic, cæli et terræ cum sit Dóminus, non in manufáctis templis inhábitat, nec mánibus humánis cólitur índigens áliquo, cum ipse det ómnibus vitam et inspiratiónem et ómnia; fecítque ex uno omne genus hóminum inhabitáre super univérsam fáciem terræ, defíniens statúta témpora et términos habitatiónis eórum, quǽrere Deum si forte attréctent eum et invéniant, quamvis non longe sit ab unoquóque nostrum. In ipso enim vívimus et movémur et sumus, sicut et quidam vestrum poetárum dixérunt: Ipsíus enim et genus sumus ».

663. Vel:

Is 40, 1a. 3-5 « *Fiant prava in directa et aspera in plana* ».
Sic dicit Dóminus: Consolámini, consolámini pópulum meum... 3 Vox...

Act 8, 26-39 « *Venerat adorare in Ierusalem et revertebatur sedens super currum suum* ».
Surgens Philíppus ábiit ...

Mc 4, 35-41 « *Cessavit ventus et facta est tranquillitas magna* ».
Illa die, cum sero esset factum, ait Iesus discípulis suis: ...

Lc 3, 3-6 « *Parate viam Domino* ».
Venit Ioánnes in omnem regiónem circa Iordánem ...

Io 1, 47-51 « *Videbitis angelos Dei ascendentes et descendentes* ».
Vidit Iesus Nathánaæl ...

Io 14, 1-7 « *Ego sum via et veritas et vita* ».
Recúmbens in cena Iesus cum discípulis suis, ait illis: « Non turbétur cor vestrum ...

664. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 22 (23), 1-3. 4. 5. 6
℟. (cf. 3b) *Deduc me, Dómine, super sémitas iustítiæ.*

Ps 24 (25), 4-5. 9-10. 12-13
℟. (2a) *Deus meus, in te confído.*

Ps 150, 1-2. 3-4. 5
℟. (2b) *Laudáte Dóminum*
secúndum multitúdinem magnitúdinis eius.

665. Minister, pro opportunitate adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

666. Ubi opportunum videtur, ante orationem benedictionis, communis prex haberi potest. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, minister seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

Commúni oratióne Dóminum Iesum Christum humíliter implorémus, qui via nobis est qua perveniámus ad pátriam.

℟. *Dírige, Dómine, gressus nostros in via tua.*

Dómine Iesu, qui, homo factus,
cum homínibus conversári dignátus es:
— fac ut, tua semper suffúlti præséntia,
in sémitis dilectiónis tuæ felíciter ambulémus. ℟.

Dómine Iesu, qui civitátes circúmiens,
Evangélium tuum annuntiásti et infírmos curásti:
— per platéas et vias nostras adhuc transíre
et misericórdia tua nos confortáre dignéris. ℟.

Dómine Iesu, qui discípulis in mari navigántibus
præsto fuísti eósque ab omni perículo liberásti:
— in huius mundi tempestátibus
nobis semper adésto propítius. ℟.

Dómine Iesu, qui discípulis tuis
te præbuísti cómitem in via:
— itínera nostra benedícere
et corda nostra verbis tuis inflammáre dignéris. ℟.

Dómine Iesu, qui in cælum ascéndens,
viam nobis aperuísti:
— nos in terra peregrinántes susténta,
ut in domo Patris tui mansiónem habére possímus. ℟.

Dómine Iesu, qui nos Matri tuæ fílios commisísti:
— ipsa intercedénte, itínera nobis para tuta,
ut te aliquándo videámus tecúmque semper collætémur. ℟.

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

667. Quando preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, minister dicit:

Orémus.

Et pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc orationem benedictionis profert.

ORATIO BENEDICTIONIS

668. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, manibus extensis, si laicus, manibus iunctis, orationem benedictionis profert:

a) *Benedictio pontis, viæ et plateæ, viæ ferreæ, portus, aeroportus*

1. Deus qui a serviéntibus tibi
nulla es in regióne longínquus
et confidéntes in te patérna protectióne custódis,
omnes qui per hanc viam (platéam / hunc pontem) transíbunt,
et præcedénte grátia tua dírigas,
et subsequénte comitáre dignéris,
ut, ab omni adversitáte, tua opitulatióne defénsi,
et desideráta possint implére,
et ad loca destináta felíciter perveníre.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

vel:

2. Infinítæ Deus misericórdiæ et maiestátis imménsæ,
quem nec spátia locórum nec interválla témporum,
ab his quos tuéris abiúngunt,
adésto fámulis tuis in te ubíque fidéntibus,
et per omnem quam actúri sunt viam,
dux eis et comes esse dignáre:
nihil eis adversitátis nóceat,
nihil difficultátis obsístat,
cuncta eis salúbria,
cuncta vere sint próspera:
ut ope déxteræ tuæ,
quidquid iusto expetíerint desidério,
felíciter consequántur efféctu.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

b) *Benedictio vehiculi cuiusvis generis*

Omnípotens Deus, Creátor cæli et terræ,
qui hómini pulchra et magna faciénda
in tua multifórmi sapiéntia commisísti,
concéde, quǽsumus, ut qui hoc vehículo usi fúerint,
et iter suum cauta securitáte percúrrant,
et aliórum præstent sua prudéntia tutum,
atque, sive opus ádeunt sive quiétem,
semper Christum sibi séntiant cómitem in via,
qui tecum vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

c) *Benedictio navigii aerii*

1. Dómine, Deus noster,
qui ponis nubem ascénsum tuum,
et ámbulas super pennas ventórum,

præsta ut hoc navígium aérium
ingénio et arte filiórum tuórum exstrúctum,
itínera præstitúta plácide percúrrat,
et qui eo usi fúerint,
a te custodiántur immúnes,
et ad propósitam sibi metam felíciter transvehántur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

vel:

2. Dómine Deus noster,
qui ámbulas super pennas ventórum,
cuius glóriam enárrant cæli,
cuiúsque ópera annúntiat firmaméntum
te benedícimus et magnificámus
in cunctis opéribus tuis,
quia hómini pulchra et magna faciénda
in tua multifórmi sapiéntia commisísti.
Tríbue nobis, quǽsumus,
ut currus hic, aério itíneri destinátus,
nóminis tui laudi látius propagándæ
humanísque rebus prómptius expediéndis
appríme desérviat.
Te benedicénte,
aériæ huius navis gubernatóres,
prudénti semper procédant consílio,
ut ad propósitam sibi metam navigántes,
quovis remóto perículo,
incólumes perducántur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

d) *Benedictio naviculæ*

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris,
quibus tuam rogámus cleméntiam,
ut ab hac navícula
ómnium ventórum adversitátem procul avértas,
flúctuum procéllas invícta virtúte compéscas,
quátenus omnes in ea navigántes,
tua protectióne muníti,
desideráta bona próspere consequántur,
et ad portum optátum incólumes pervéniant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

e) *Benedictio navis*

Deus, qui Ecclésiam tuam
inter mundi turbídines fluctuántem,
cleménti gubernatióne moderáris,
hanc navem et omnes qui conscénderint,
prósperum cursum navigáre concéde,
ut qui, te gubernatóre, márium vada percúrrunt,
bonis ómnibus expleántur,
et portum perpétuæ securitátis
aliquándo intráre læténtur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

669. Post orationem benedictionis, pro opportunitate, minister loca, ædes, vehicula atque personas aqua benedicta aspergit, dum cantus aptus peragitur.

CONCLUSIO RITUS

670. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, ritum concludit dicens:

Dóminus dírigat itínera vestra
ut in pace ambulétis,
et ad vitam perveniátis ætérnam.
℟. Amen.

Deinde dicit:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

---

671. Si vero est laicus, minister invocans benedictionem Dei et signans se, dicit:

Dóminus dírigat itínera nostra
ut in pace ambulémus,
et ad vitam perveniámus ætérnam.
℟. Amen.

---

672. Laudabiliter ritus apto cantu perficitur.

II. RITUS BREVIOR

673. Minister, initio celebrationis, dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

Omnes respondent:

℟. Qui fecit cælum et terram.

674. Tum ab uno ex adstantibus vel ab ipso ministro legitur brevis textus Sacræ Scripturæ, v. gr.:

Io 14, 6: « Ego sum via et véritas et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me ».

Mt 22, 37a. 39b-40: Díliges Dóminum Deum tuum in toto corde tuo. Díliges próximum tuum sicut teípsum. In his duóbus mandátis univérsa Lex pendet et Prophétæ.

675. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, manibus extensis, si laicus, manibus iunctis, orationem benedictionis dicit:

Omnípotens Deus, Creátor cæli et terræ,
qui hómini pulchra et magna faciénda
in tua multifórmi sapiéntia commisísti,
concéde, quǽsumus, ut qui hoc vehículo usi fúerint,
et iter suum cauta securitáte percúrrant,
et aliórum præstent sua prudéntia tutum,
atque, sive opus ádeunt sive quiétem,
semper Christum sibi séntiant cómitem in via,
qui tecum vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

676. Vel pro navicula:

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris,
quibus tuam rogámus cleméntiam,
ut ab hac navícula
ómnium ventórum adversitátem procul avértas,
flúctuum procéllas invícta virtúte compéscas,
quátenus omnes in ea navigántes,
tua protectióne muníti,
desideráta bona próspere consequántur,
et ad portum optátum incólumes pervéniant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

677. Pro opportunitate minister adstantes et vehiculum aqua benedicta aspergit.

CAPUT XIX

ORDO BENEDICTIONIS PECULIARIUM INSTRUMENTORUM TECHNICORUM

PRÆNOTANDA

678. Homo suo labore atque ingenio, ope scientiæ et artis technicæ, suum dominium in naturam iugiter dilatat. Quo fit, ut multa bona, propria industria homo sibi procuret suæ et aliorum vitæ condiciones in melius mutans. Cum peculiaria instrumenta technica prima vice auspicantur, opportuna esse potest aliqua celebratio, qua clarius appareat christiano nuntio homines officio mundi exstruendi arcte obstringi.[7]

679. Hic qui proponitur Ordo benedictionis respicit tum communitatem in cuius bonum quædam instrumenta technica eriguntur (uti v. gr. primariæ sedis energiæ, aquæductus, seismographei, etc.) tum præsertim omnes qui quocumque modo ea dirigent. Ideo præsentia saltem quorundam legatorum requiritur.

680. Hic Ordo adhiberi potest tum a sacerdote, tum a diacono, et etiam a laico, ritibus tamen et formulis pro ipso prævisis.

681. Ex hoc Ordine, semper servatis structura ritus et potioribus elementis, quædam sumi possunt ut celebratio loci et personarum adiunctis accommodetur.

[7] Conc. Vat. II, Const. pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis, *Gaudium et spes*: cf. nn. 33-34.

ORDO BENEDICTIONIS

Ritus initiales

682. Communitate congregata, fieri potest cantus aptus, quo expleto, minister dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

683. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, adstantes salutat, dicens:

Deus, qui hómines constítuit
super ópera mánuum suárum,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

---

684. Si vero minister est laicus, adstantes salutat dicens:

Deum, qui hómines constítuit
super ópera mánuum suárum,
una voce magnificémus.

Omnes respondent:

Amen.

---

685. Tum minister adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Mánuum suárum labóre et ártium ópere technicárum, homo cum Creatóre cooperátur ut terra dígnior famíliæ humánæ sedes efficiátur. Qui opus creatiónis perficiéndum curat, humáno consórtio provehéndo próspicit et Christi mandátum servat sese in fratrum servítium alácriter impendéndi. Deum ergo benedicámus qui his invéntis ad cómmodum nostrum útimur, numquam ab eius laude cessémus, qui est lux vera et fons aquæ saliéntis in vitam ætérnam.

Lectio verbi Dei

686. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse minister legit textum Sacrarum Scripturarum.

Gen 1, 1-5a. 14-18 « *Dixit Deus: Fiat lux! et facta est lux* ».

Audíte, fratres, verba libri Génesis.

In princípio creávit Deus cælum et terram. Terra autem erat inánis et vácua, et ténebræ super fáciem abýssi, et spíritus Dei ferebátur super aquas.
Dixítque Deus: « Fiat lux ». Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona et divísit Deus lucem ac ténebras. Appellavítque Deus lucem Diem et ténebras Noctem.
Dixit autem Deus: « Fiant luminária in firmaménto cæli, ut dívidant diem ac noctem et sint in signa et témpora et dies et annos, ut lúceant in firmaménto cæli et illúminent terram ». Et factum est ita. Fecítque Deus duo magna luminária: luminare máius, ut præésset diéi, et luminare minus, ut præésset nocti, et stellas. Et pósuit eas Deus in firmaménto cæli, ut lucérent super terram et præéssent diéi ac nocti et divíderent lucem ac ténebras. Et vidit Deus quod esset bonum.

687. Vel:

Io 4, 5-14 « *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum!* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Ioánnem.

Venit Iesus in civitátem Samaríæ, quæ dícitur Sichar, iuxta prǽdium, quod dedit Iacob Ioseph fílio suo; erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigátus ex itínere sedébat sic super fontem; hora erat quasi sexta. Venit múlier de Samaría hauríre aquam. Dicit ei Iesus: « Da mihi bíbere »; discípuli enim eius abíerant in civitátem, ut cibos émerent. Dicit ergo ei múlier illa Samaritána: « Quómodo tu Iudǽus cum sis, bíbere a me poscis, quæ sum múlier Samaritána? ». Non enim coutúntur Iudǽi Samaritánis. Respóndit Iesus et dixit ei: « Si scires donum Dei et quis est, qui dicit tibi: "Da mihi bíbere", tu fórsitan petísses ab eo et dedísset tibi aquam vivam ». Dicit ei múlier: « Dómine, neque in quo háurias habes, et púteus altus est; unde ergo habes aquam vivam? Numquid tu máior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis púteum, et ipse ex eo bibit et fílii eius et pécora eius? ». Respóndit Iesus et dixit ei: « Omnis qui bibit ex aqua hac, sítiet íterum; qui autem bíberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sítiet in ætérnum, sed aqua, quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ saliéntis in vitam ætérnam ».

688. Vel:

Num 20, 2-11 « *Egressæ sunt aquæ largissimæ* ».
Cum indígeret aqua pópulus in desérto ...

Is 55, 1-11 « *Omnes sitientes, venite ad aquas!* ».
Omnes sitiéntes ...

Sir 17, 1-6 « *Dedit homini potestatem eorum quæ sunt in terra* ».
Deus creávit de terra hóminem ...

689. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 17 (18), 12-13. 14-15. 16. 17 et 20
℟. (3b) *Deus meus, adiútor meus, et sperábo in eum.*

Ps 28 (29), 1-2. 3-4. 7-9. 10-11
℟. (2) *Afférte Dómino glóriam nóminis eius.*

Ps 148, 1-2. 3-4. 5-6
℟. (13c) *Magnificéntia Dómini super cælum et terram.*

690. Minister, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

691. Ubi opportunum videtur, ante orationem benedictionis, communis prex haberi potest. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, minister seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

In opéribus atque invéntis, quæ hóminum debéntur ingénio, pérmanens nobis agnoscénda est Dei creatóris operátio. Unde æquum et iustum est nostras laudes Deo grato corde proférre ipsúmque fidénter invocáre dicéntes:

℟. *Opus mánuum nostrárum confírma, Dómine.*

Deus ætérne, qui cuncta bona creásti
et hóminem tamquam dóminum super ea constituísti,
— da ut natúræ víribus ad glóriam tuam
et ad hóminum utilitátem sapiénter utámur. ℟.

Qui Spíritum tuum nobis contínue largíris,
— concéde ut cum eódem Spíritu
non arte tantum, sed iustítia quoque et caritáte
ad fáciem terræ renovándam cooperémur. ℟.

Qui corda nosti ómnium,
— fac ut quæ hóminum profert ingénium
mens recta gubérnet. ℟.

Qui Patrem ab ómnibus vocári voluísti,
— da ut quotquot adhuc iniústo premúntur discrímine,
ad iúra et bona commúnia
ómnium auxílio accédere possint. ℟.

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

692. Quando preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, minister dicit:

Orémus.

Et pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc orationem benedictionis profert.

ORATIO BENEDICTIONIS

693. Tunc minister, si est sacerdos vel diaconus, manibus extensis, si vero est laicus, manibus iunctis, benedictionis orationem profert:

a) *Benedictio cuiusvis instrumenti technici*

Benedíctus et laudábilis es, Dómine Deus noster,
qui hóminum ingénio atque labóre,
omni creatúræ próvides perficiéndæ,
et humáni géneris adinventiónibus
magnitúdinem et bonitátem tuam mirabíliter decláras:
præsta, quǽsumus,
ut quotquot horum inventórum subsídio,
ad vitæ suæ proféctum uti desíderant,
te mirábilem in opéribus tuis agnóscant
tibíque in vita sua alácrius deservíre conéntur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

b) *Benedictio primariæ sedis energiæ*

Dómine, Deus omnípotens,
lucis creátor, omnísque hóminis fons et orígo,
réspice fámulos tuos qui hoc invéntum
ad energíam eléctricam (atómicam) ádhibent producéndam,
et præsta ut vultum tuum iúgiter perquiréntes,
post huius sǽculi ténebras,
ad Te, Lumen indefíciens,
in quo vívimus, movémur et sumus,
váleant perveníre.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

c) *Benedictio aquæductus*

Benedíctus et laudábilis es, Dómine Deus noster,
qui hóminum ingénio atque labóre,
omni creatúræ próvides perficiéndæ,
et humáni géneris adinventiónibus
magnitúdinem et bonitátem tuam mirabíliter decláras:
præsta, quǽsumus.
ut quotquot aquis hinc defluéntibus
pro sua quísque necessitáte usi fúerint,
te aquæ vivæ fontem agnóscant,
a quo aquam háuriant in vitam ætérnam saliéntem.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

694. Post orationem benedictionis, instrumentum technicum primo adhibetur. Fieri potest, pro opportunitate, cantus aptus.

CONCLUSIO RITUS

695. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, ritum concludit, dicens:

Deus, a quo bona cuncta procédunt,
illúminet vultum suum super vos,
et dírigat vos in viam pacis.

℟. Amen.

Deinde dicit:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

---

696. Si vero est laicus, minister invocans benedictionem Dei et signans se, dicit:

Deus, a quo bona cuncta procédunt,
illúminet vultum suum super nos,
et dírigat nos in viam pacis.

℟. Amen.

---

697. Laudabiliter ritus apto cantu perficitur.

CAPUT XX

ORDO BENEDICTIONIS INSTRUMENTORUM LABORIS

PRÆNOTANDA

698. Instrumenta cuiusvis generis, ingentis quoque molis, quibus utuntur homines ad laborem exercendum, uti sunt v. gr. machinæ sese moventes, naviculæ ad piscandum et similia, opportune benedici possunt, ut ipsi homines valeant agnoscere se proprio labore cum fratribus suis coniungi eisque inservire ac germanam caritatem manifestare atque creationi divinæ perficiendæ sociam operam præbere posse. Benedictio fieri potest in peculiaribus adiunctis, v. gr. in celebratione S. Ioseph opificis vel alicuius sancti Patroni, aut congressus operariorum, dum ipsi operarii simul adunantur, instrumenta laboris sui afferentes.

699. Cum hæc celebratio non ipsa instrumenta sed homines qui cum illis adlaborant potius respiciat, requiritur præsentia ipsorum operariorum aut saltem quorundam legatorum.

700. Hic Ordo adhiberi potest tum a sacerdote, tum a diacono et etiam a laico, ritibus tamen et formulis pro ipso prævisis.

701. Ex hoc Ordine, semper servatis structura ritus ac potioribus elementis, quædam sumi possunt ut celebratio adiunctis loci et personarum accommodetur.

702. Cum agitur de uno alterove instrumento benedicendo, Ritus brevior adhiberi potest qui infra proponitur nn. 718-720.

I. ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

703. Communitate congregata, fieri potest cantus aptus, quo expleto minister dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

704. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, adstantes salutat, dicens:

Christus, Dei Fílius,
qui fabri fílius putári dignátus est,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

---

705. Si vero minister est laicus, adstantes salutat dicens:

Christum, Dei Fílium,
qui fabri fílius putári dignátus est,
devótis méntibus confitémur.

Omnes respondent:

Amen.

---

706. Tum minister adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Deus hómini mandávit ut terram possidéret et eam subíceret, usque dum cæli novi instauraréntur et terra nova, iuxta illud Apóstoli: « Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei » (1 Cor 3, 23). Ad hunc autem finem assequéndum, ipse homo aptis útitur instruméntis, quibus áliquo modo redemptiónis bono cooperátur atque partícipat. Deum ergo pro hac mirábili rerum dispositióne ex corde benedicámus eúmque deprecémur ut suo auxílio hóminem in labóre tueátur atque susténtet.

LECTIO VERBI DEI

707. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse minister legit textum Sacrarum Scripturarum.

1 Th 4, 9. 10b-12 « *Operemini manibus vestris* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Thessalonicénses.

De caritáte autem fraternitátis non necésse habétis, ut vobis scribam, ipsi enim vos a Deo edócti estis, ut diligátis ínvicem; rogámus autem vos, fratres, ut abundétis magis et óperam detis, ut quiéti sitis, et ut vestrum negótium agátis, et operémini mánibus vestris, sicut præcípimus vobis, ut honéste ambulétis ad eos, qui foris sunt et nullíus áliquid desiderétis.

708. Vel:

Ex 35, 30 — 36, 1 « *Dedit Deus sapientiam et intellectum, ut scirent fabre operari* ».
Dixítque Móyses ad fílios Israel: « Ecce vocávit Dóminus ...

Iob 28, 1-28 « *Ferrum de terra tollitur et lapis solutus calore in æs vertitur* ».
Habet argéntum venárum princípia ...

Prov 31, 10-31 « *Manum suam misit ad colos et digiti eius apprehenderunt fusum* ».
Mulíerem fortem quis invéniet ...

Sir 38, 25-39 « *Unusquisque in arte sua sapiens est* ».
Sapiéntia scribæ ...

Is 28, 23-29 « *Tota die arat arans, ut serat* ».
Hæc dicit Dóminus Deus exercítuum: « Auribus percípite ...

Act 18, 1-5 *Paulus scenofactoriæ erat artis et operabatur.*
Paulus discédens ab Athénis venit Corínthum ...

Mt 13, 1-9 « *Ecce exiit, qui seminat, seminare* ».
In illo die éxiens Iesus de domo ...

Lc 5, 3-11 « *In verbo tuo laxabo retia* ».
In illo témpore: Ascéndens Iesus in unam navem ...

709. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 64 (65), 10. 11-12. 13-14
℟. (6) *Exáudies nos, Deus salútis nostræ.*

Ps 89 (90), 2. 3-4. 12-13. 14 et 16
℟. (17c) *Opus mánuum nostrárum confírma, Dómine.*

Ps 106 (107), 35-36. 37-38. 41-42
℟. (1b) *Confitémini Dómino, quóniam bonus!*

Ps 126 (127), 1. 2
℟. (cf. 1) *Dóminus ædíficet nobis domum,*
et custódiat civitátem.

710. Minister, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

711. Ubi opportunum videtur, ante orationem benedictionis, communis prex haberi potest. Ex invocationibus quæ infra proponuntur,

minister seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere, quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

Deus, qui pósuit hóminem in mundum ut operarétur et custodíret illum, humánas iúgiter éxcitat mentes ut ingénio suo atque labóre ad creatiónis proféctum cooperéntur. Eum collaudémus dicéntes:

℟. *Benedíctus es, Dómine, creátor univérsi.*

Qui hóminem ad labórem ádvocans,
eídem mundum a te creátum perficiéndum commíttis. ℟.

Qui dignitátem operándi hómini tríbuens,
illum cooperatórem tuum in mundo constítuis. ℟.

Qui hóminem ad novam semper moliénda
sapiéntia tua illúminas,
ut nomen tuum glorificétur
et laude tua omnis terra resúltet. ℟.

Qui Fílium tuum in mundum misísti,
ut sudóre vultus sui labórem sanctíficans et élevans,
ímpigræ navitátis nobis esset exémplar. ℟.

Qui in omni ópere bono hómines adspirándo prǽvenis,
et adiuvándo proséqueris. ℟.

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

712. Quando preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, minister dicit:

Orémus.

Et pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc orationem benedictionis profert.

Oratio benedictionis

713. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, manibus extensis, vel si est laicus, manibus iunctis, orationem benedictionis profert:

Deus, a quo benedictiónis descéndit plenitúdo,
et ad quem precátio benedicéntis ascéndit,
fámulos tuos prótege benígnus,
qui coram te fidéli devotióne
labóris sui próferunt instruménta,
et præsta ut náviter operántes,
creatióni perficiéndæ collabórent,
suam suorúmque vitam susténtent,
humánæ sátagant societátis fovére progréssum
et nóminis tui glóriam iúgiter collaudáre.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

714. Vel:

Deus, qui naturálium rerum virtútes
hóminum labóri súbdere voluísti,
concéde propítius,
ut, opéribus nostris inténti,
creatióni tuæ perficiéndæ
sóciam óperam liberáliter navémus.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

715. Pro opportunitate minister adstantes et instrumenta laboris aqua benedicta aspergit.

Conclusio ritus

716. Tum minister ritum concludit, dicens:

Christus Dóminus,
qui ad salútem operándam

humánum suscépit labórem,
suo nos solácio iúgiter confórtet
et suam det nobis pacem.
℟. Amen.

717. Laudabiliter ritus apto cantu perficitur.

II. RITUS BREVIOR

718. Minister, initio celebrationis, dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

Omnes respondent:

℟. Qui fecit cælum et terram.

719. Tum ab uno ex adstantibus vel ab ipso ministro legitur brevis textus Sacræ Scripturæ, v. gr.:

Sir 38, 35. 39: Omnes artífices in mánibus suis speravérunt, et unusquísque in arte sua sápiens est. Creatúram labóris confirmábunt, et sollicitúdo illórum in operatióne artis.

2 Th 3, 7-8: Opórtet imitári nos, quóniam non gratis panem manducávimus ab áliquo sed in labóre et fatigatióne, nocte et die operántes, ne quem vestrum gravarémus.

720. Deinde minister dicit, manibus iunctis, orationem benedictionis, qua peracta, pro opportunitate, adstantes et laboris instrumenta aqua benedicta aspergit.

Deus, qui naturálium rerum virtútes
hóminum labóri súbdere voluísti,
concéde propítius,
ut, opéribus nostris inténti,
creatióni tuæ perficiéndæ
sóciam óperam liberáliter navémus.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

CAPUT XXI

ORDO BENEDICTIONIS ANIMALIUM

PRÆNOTANDA

721. Cum plura animalia, iuxta divinam Creatoris providentiam, hominum vitæ quodammodo participent, quippe quæ vel adiumentum in laboribus præstent, vel etiam cibum præbeant atque solacium, nihil impedit quominus data occasione, v. gr. in festo alicuius Sancti, consuetudo servetur Dei benedictionem super illa invocandi.

722. Hic Ordo adhiberi potest tum a sacerdote, tum a diacono et etiam a laico, ritibus tamen et formulis pro ipso prævisis.

723. Ex hoc Ordine, semper servatis structura ritus ac potioribus elementis, quædam sumi possunt ut celebratio adiunctis accommodetur.

724. Cum agitur de uno alterove animali benedicendo vel de benedictione animalium occasione alius celebrationis, etiam Ritus brevior adhiberi potest, qui infra proponitur, nn. 741-744.

I. ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

725. Communitate congregata, fieri potest cantus aptus, quo expleto, minister dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

726. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, adstantes salutat, dicens:

Deus qui est mirábilis
in ómnibus opéribus suis,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

---

727. Si vero minister est laicus, adstantes salutat, dicens:

Dóminum Deum nostrum,
qui ómnia in sapiéntia fecit,
eníxe magnificémus.

Omnes respondent:

Amen.

---

728. Tum minister adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Animália a Deo creáta cælum et terram et mare inhábitant, vicissitúdines hóminis partícipant eiúsque vitæ sociántur. Deus ipse qui sua benefícia super ómnia vivéntia diffúndit, animálium haud raro vel adiutório útitur vel étiam imágine ad dona salútis quodámmodo insinuánda. Animália ab aquis dilúvii in arca servántur, et post dilúvium fœderi cum Noe ínito aliquómodo sociántur (Gen 9, 9-10), agnus paschális récolit immolatiónem paschálem, et libertátem ab Ægýpti servitúte (Ex 12, 3-14); magnus piscis Ionam servat (Ion 2, 1-11); corvi Elíam nútriunt (1 Reg 17, 6); animália hóminum

pæniténtiæ aggregántur (Ion 3, 7) et cum univérsa creatúra, Christi redemptiónem partícipant.
Dei ergo benedictiónem, (per intercessiónem sancti N.) super hæc animália invocántes, ipsum ómnium Creatórem laudémus, ei grátias agámus qui nos super univérsas éxtulit creatúras, et ab eo ínsuper petámus ut dignitátem nostram agnoscéntes, in eius lege semper ambulémus.

LECTIO VERBI DEI

729. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse minister legit textum Sacrarum Scripturarum.

Gen 1, 1. 20-29 « *Dominamini universis animantibus, quæ moventur super terram* ».

Audíte, fratres, verba libri Génesis.

In princípio creávit Deus cælum et terram. Dixit étiam Deus: « Púllulent aquæ réptile ánimæ vivéntis, et volátile volet super terram sub firmaménto cæli ». Creavítque Deus cete grándia et omnem ánimam vivéntem atque motábilem, quam púllulant aquæ secúndum spécies suas, et omne volátile secúndum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum; benedixítque eis Deus dicens: « Créscite et multiplicámini et repléte aquas maris, avésque multiplicéntur super terram ». Et factum est véspere et mane, dies quintus. Dixit quoque Deus: « Prodúcat terra ánimam vivéntem in génere suo, iuménta et reptília et béstias terræ secúndum spécies suas ». Factúmque est ita. Et fecit Deus béstias terræ iuxta spécies suas et iuménta secúndum spécies suas et omne réptile terræ in génere suo. Et vidit Deus quod esset bonum. Et ait Deus: « Faciámus hóminem ad imáginem et similitúdinem nostram; et præsit píscibus maris et volatílibus cæli et béstiis universǽque terræ omníque réptili, quod movétur in terra ». Et creávit Deus hóminem ad imáginem suam; ad imáginem Dei creávit illum, másculum et féminam creávit eos. Benedixítque illis Deus et

ait illis Deus: « Créscite et multiplicámini et repléte terram et subícite eam et dominámini píscibus maris et volatílibus cæli et univérsis animántibus, quæ movéntur super terram ».

730. Vel:

Gen 2, 19-20a « *Appellavit homo nominibus suis omnes bestias* ».

Audíte, fratres, verba libri Génesis.

Formátis Dóminus Deus de humo cunctis animántibus agri et univérsis volatílibus cæli, addúxit ea ad hóminem, ut vidéret quid vocáret ea; omne enim, quod vocávit homo ánimæ vivéntis, ipsum est nomen eius. Appellavítque homo nomínibus suis cuncta pécora et univérsa volatília cæli et omnes béstias agri.

731. Vel:

Gen 6, 17-23 « *Ex cunctis animantibus induces in arcam ut vivant tecum* ».
Dixit Deus ad Noe: « Ecce ego addúcam ...

Is 11, 6-10 « *Non nocebunt animalia et non occident in universo monte sancto meo* ».
Hæc dicit Dóminus Deus: « In die illa habitábit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubábit ...

732. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 8, 2. 4-5. 7b-9.
℟. (10) *Dómine, Dóminus noster,*
quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ps 103 (104), 1-2a. 10-12. 25. 27-28
℟. (27) *Omnia a te exspéctant,*
ut des illis escam in témpore suo.

Ps 146 (147), 5-6. 7-8. 9-11
℟. (1a) *Laudáte Dóminum,*
quóniam bonum est psállere Deo nostro.

733. Minister, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

734. Ubi opportunum videtur, ante orationem benedictionis, communis prex haberi potest. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, minister seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

Deus hóminem creávit et in terra pósuit ut univérsis dóminans animántibus Creatóris glóriam faterétur. Eum ígitur láudibus extollámus, dicéntes:

℟. *Quam multiplicáta sunt ópera tua, Dómine!*

Benedíctus es, Dómine, qui animália creásti
et in labóris nostri adiuméntum
nobis subícere voluísti. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui ad vires nostras reficiéndas
animálium carnes in cibum nobis dedísti. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui filiórum tuórum solácio cónsulens,
animália doméstica nobis cómites dedísti. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui in cæli ávibus a te nutrítis
patérnæ tuæ providéntiæ,
Iesu testánte, signum ostendísti. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui Fílium tuum tamquam Agnum nobis obtulísti
nosque in illo
fílios tuos et nominári et esse voluísti. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui per humíllimas étiam creatúras
ad dilectiónem tuam nos tráhere non désinis. ℟.

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

735. Quando preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, minister dicit:

Orémus.

Et pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc orationem benedictionis profert.

ORATIO BENEDICTIONIS

736. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, manibus extensis, vel si est laicus, manibus iunctis, orationem benedictionis profert:

Donórum ómnium, Deus, auctor atque largítor,
qui necessitátibus ac labóribus hóminum
étiam de animálibus solácia subrogásti:
(per intercessiónem sancti N.)
súpplices te rogámus
ut ea, sine quibus non álitur humána condítio,
nostris fácias bonis úsibus deservíre.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

737. Vel:

Deus, qui ómnia in sapiéntia fecísti
et hómini ad tuam similitúdinem creáto
animántium dominátum tua benedictióne donásti:

déxteram tuam propítius exténde et præsta
ut hæc animália nostris insérviant necessitátibus:
et nos fámuli tui,
præséntibus subsídiis adiúti,
sempitérna fiduciálius appetámus.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

738. Pro opportunitate minister adstantes et animalia aqua benedicta aspergit.

CONCLUSIO RITUS

739. Tum minister ritum concludit, dicens:

Qui animália terræ in hóminum auxílium creávit
nos grátia suæ benedictiónis
Deus iúgiter prótegat atque consérvet.
℟. Amen.

740. Laudabiliter ritus cantu apto perficitur.

II. RITUS BREVIOR

741. Minister, initio celebrationis, dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

Omnes respondent:

℟. Qui fecit cælum et terram.

742. Tum ab uno ex adstantibus vel ab ipso ministro legitur brevis textus Sacræ Scripturæ, v. gr.:

Gen 2, 20a: Appellavítque homo nomínibus suis cuncta pécora et univérsa volatília cæli et omnes béstias agri.

Cf. Ps 8, 7-9a:
Constituísti, Dómine, hóminem super opera mánuum tuárum.
Omnia subiecísti sub pédibus eius,
oves et boves univérsas,
ínsuper et pécora campi,
vólucres cæli et pisces maris.

743. Deinde minister dicit, manibus iunctis, orationem benedictionis:

Deus, qui ómnia in sapiéntia fecísti
et hómini ad tuam similitúdinem creáto
animántium dominátum tua benedictióne donásti:
déxteram tuam propítius exténde et præsta
ut hæc animália nostris insérviant necessitátibus:
et nos fámuli tui,
præséntibus subsídiis adiúti,
sempitérna fiduciálius appetámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

744. Pro opportunitate minister adstantes et animalia aqua benedicta aspergit.

CAPUT XXII

ORDO BENEDICTIONIS AGRORUM, CAMPORUM ET PASCUORUM

PRÆNOTANDA

745. Hoc ritu fideles gratam beneficiorum acceptorum memoriam Deo manifestant, qui mundum universum ineffabili amore creavit eumque hominum curæ demandavit, ut assiduo labore, quæ ad vitam sunt necessaria, fratribus præstarent.

746. Hic Ordo adhiberi potest in adiunctis aptioribus vitæ rusticæ, ita ut, orationis ope, humanus labor sanctificetur atque benedictio Domini temporum vices et opera ipsis respondentia comitetur.

747. Ordo, qui hic præbetur, adhiberi potest tum a sacerdote, tum a diacono et etiam a laico, ritibus tamen et formulis pro ipso prævisis.

748. Ex hoc Ordine, semper servatis structura ritus ac potioribus elementis, quædam sumi possunt ut celebratio adiunctis loci et personarum accommodetur.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

749. Communitate congregata, fieri potest cantus aptus, quo expleto, minister dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

750. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, adstantes salutat, dicens:

Deus, qui est mirábilis in opéribus suis,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

---

751. Si vero minister est laicus, adstantes salutat, dicens:

Deum, qui dat nobis
de rore cæli et de pinguédine terræ,
unanímiter benedicámus.

Omnes respondent:

Amen.

---

752. Tum minister adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Deum benedicámus, qui terram omnipoténtia sua creávit, et providéntia locupletávit, eámque dedit homínibus coléndam, ut fructus inde percíperent quibus vitam suam álerent atque nutrírent.
Dum vero Dómino pro sua largitáte grátias ágimus, discámus étiam, iuxta Evangélii verba, quǽrere primum regnum Dei et iustítiam eius: tunc enim ómnia necessária adiciéntur nobis.

LECTIO VERBI DEI

753. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse minister legit textum Sacrarum Scripturarum.

Gen 1, 1. 11-12. 29-31 « *Vidit Deus cuncta quæ fecit, et ecce erant valde bona* ».

Audíte, fratres, verba libri Génesis.

In princípio creávit Deus cælum et terram. Et ait Deus: « Gérminet terra herbam viréntem et herbam faciéntem semen et lignum pomíferum fáciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetípso sit super terram ». Et factum est ita. Et prótulit terra herbam viréntem et herbam afferéntem semen iuxta genus suum lignúmque fáciens fructum, qui habet in semetípso seméntem secúndum spéciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum.
Dixítque Deus: « Ecce dedi vobis omnem herbam afferéntem semen super terram et univérsa ligna, quæ habent in semetípsis fructum ligni portántem seméntem, ut sint vobis in escam et cunctis animántibus terræ omníque vólucri cæli et univérsis, quæ movéntur in terra et in quibus est ánima vivens, omnem herbam viréntem ad vescéndum ». Et factum est ita. Vidítque Deus cuncta, quæ fecit; et ecce erant valde bona.

754. Vel:

Deut 32, 10c-14 « *Constituit Deus populum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum* ».

Audíte, fratres, verba libri Deuteronómii.

Circúmdedit Deus pópulum suum et atténdit et custodívit quasi pupíllam óculi sui. Sicut áquila próvocans ad volándum pullos suos et super eos vólitans expándit alas suas et assúmp-

sit eum atque portávit super pennas suas. Dóminus solus dux eius fuit, et non erat cum eo deus aliénus. Constítuit eum super excélsam terram, ut coméderet fructus agrórum, ut súgeret mel de petra oleúmque de saxo duríssimo, butýrum de arménto et lac de óvibus, cum ádipe agnórum et aríetum filiórum Basan et hircórum, cum medúlla trítici, et sánguinem uvæ bíberet meracíssimum.

755. Vel:

Mt 6, 25-34 « *Considerate lilia agri quomodo crescunt* ».
Dicébat Iesus discípulis suis: « Ne sollíciti ...

Mc 4, 26-29 « *Semen germinat et increscit dum nescit homo* ».
Dicébat Iesus: « Sic est regnum Dei ...

756. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 64 (65), 10. 11-12. 13-14
℟. (6) *Exáudies nos, Deus salútis nostræ.*

Ps 103 (104), 1-2a. 14-15. 24. 27-28
℟. (24c) *Impléta est terra creatúra tua, Dómine.*

Ps 106 (107), 35-36. 37-38. 41-42
℟. (1b) *Confitémini Dómino, quóniam bonus!*

757. Minister, pro opportunitate, adstantes alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

758. Ubi opportunum videtur, ante orationem benedictionis, communis prex haberi potest. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, minister seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

Próvidens Dóminus, ómnium Pater, fíliis suis benígne próspicit, eósque nutrit et fovet, terram benedícens ut fructus áfferat ad hóminum vitam sustentándam. Illum ergo tamquam fílii supplíciter exorémus:

℟. *Te rogámus, audi nos.*

Qui nos per apóstolum Paulum
agricultúram tuam vocásti:
— fac ut in ómnibus voluntátem tuam faciéntes,
tibi semper adhæreámus. ℟.

Qui nos illíus vitis, qui est Christus,
pálmites esse docuísti:
— fac ut in Fílio tuo manéntes,
fructum multum afferámus. ℟.

Qui benedícis terram,
eámque ubertáte replére dignáris:
— fac ut campi nostri
nutriméntum quo indigémus
tua benedictióne prodúcant. ℟.

Qui tríticum multíplicas
in quo et panem nostrum præbes cotidiánum
et eucharísticum donas aliméntum:
— da nobis abundántiam fruménti
de rore cæli et de pinguédine terræ. ℟.

Qui pascis volatília cæli
et lília vestis campi:
— doce nos non sollícitos esse
quid manducémus vel quo cooperiámur,
sed quǽrere primum regnum tuum tuámque iustítiam. ℟.

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

759. Quando preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, minister dicit:

Orémus.

Et pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc orationem benedictionis profert.

ORATIO BENEDICTIONIS

760. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, manibus extensis, vel si est laicus, manibus iunctis, orationem benedictionis profert:

Te, Dómine, sancte Pater,
qui hómini præcepísti ut operarétur terram
et custodíret eam,
supplíciter deprecámur
ut nobis méssium cópias iúgiter concédas,
fructum omnem lárgiter tríbuas,
et procellárum et grándinis amóto perículo,
ómnium séminum provéntus
multiplicáre dignéris.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

761. Vel:

Deus, qui ab orígine mundi
in tua providéntia præcepísti
ut germináret terra herbam viréntem
et frúctuum omne genus afférret,
quique semen adminístras seminánti
et panem præstas ad manducándum,
concéde, quǽsumus, ut terra ista,
tua largitáte multiplíciter locupletáta,
et ópere mánuum hóminum excúlta,

frúctibus abundántibus exúberet,
quátenus pópulus tuus bonis a te datis replétus,
hic et in ætérnum te sine fine colláudet.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Conclusio ritus

762. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, ritum concludit, dicens:

Fons ómnium bonórum Deus,
vos benedícat ✠ et ópera vestra fecúndet,
ut de eius donis gaudeátis,
eúmque iúgiter collaudétis.

℟. Amen.

---

763. Si vero minister est laicus, ritum concludit seipsum signans ac dicens:

Fons ómnium bonórum Deus,
nos benedícat et ópera nostra fecúndet,
ut de eius donis gaudeámus,
eúmque iúgiter collaudémus.

℟. Amen.

---

764. Laudabiliter ritus cantu apto perficitur.

CAPUT XXIII

ORDO BENEDICTIONIS IN PRÆSENTATIONE NOVORUM FRUCTUUM

PRÆNOTANDA

765. Digna quæ servetur est consuetudo novos fructus in signum coram afferendi ut Deum pro ipsis benedicamus. Etenim non solum officium nobis recolit Deo gratias agendi pro omnibus ab eo collatis beneficiis, sed etiam traditionem servat, de qua iam in Vetere Testamento sermo habetur.

766. Hic Ordo adhiberi potest tum a sacerdote, tum a diacono et etiam a laico, ritibus tamen et formulis pro ipso prævisis.

767. Ex hoc Ordine, semper servatis structura ritus ac potioribus elementis, quædam sumi possunt ut celebratio adiunctis loci et personarum accommodetur.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

768. Communitate congregata, fieri potest cantus aptus, quo expleto, minister dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

769. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, adstantes salutat, dicens:

Deus excélsus, qui creávit cælum et terram
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

---

770. Si vero minister est laicus, adstantes salutat, dicens:

Providentíssimum Deum,
qui nobis e terra aliméntum donat,
laudémus et superexaltémus in sǽcula.

Omnes respondent:

Amen.

---

771. Tum minister adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

In gratiárum actióne reddénda pro accéptis a Deo benefíciis, sacrifícium eucharísticum potíssimum offert Ecclésia: laudes vero, quas ádhibet in Eucharístiæ celebratióne, ad divérsas étiam horas diéi dilátat, docens in gratiárum semper actióne nobis esse manéndum. Benedicámus ergo Dómino qui íterum nobis in his novis frúctibus bona terræ concédit. Et sicut Abel de primítiis terræ dona Dei óbtulit, ita et nos cum frátribus egénis ea divídere discámus, ut simus fílii Patris a quo cuncta bona ad ómnium utilitátem procédunt.

LECTIO VERBI DEI

772. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse minister legit textum Sacrarum Scripturarum.

Act 14, 15b-17 « *Deus implet cibo et lætitia corda vestra* ».

Audíte, fratres, verba Actuum Apostolórum.

Deus fecit cælum et terram et mare et ómnia, quæ in eis sunt. Qui in prætéritis generatiónibus permísit omnes gentes ambuláre in viis suis; et quidem non sine testimónio semetípsum relíquit benefáciens, de cælo dans vobis plúvias et témpora fructífera, implens cibo et lætítia corda vestra.

773. Vel:

Deut 27, 1a. 28, 1-12b « *Benedictus fructus terræ tuæ* ».
Præcépit Móyses ... dicéntes: *28, 1* Si audiéritis vocem ... *12 usque ad* opéribus mánuum tuárum.

Ioel 2, 21-24. 26-27 « *Implebuntur areæ frumento* ».
Noli timére, terra ...

1 Tim 6, 6-11. 17-19 « *Divitibus præcipe non sperare in incerto divitiarum* ».
Caríssime: Est quæstus magnus píetas ...

Lc 12, 15-21 « *Si cui res abundant, vita eius non est ex his quæ possidet* ».
In illo témpore dixit Iesus: « Vidéte et cavéte ...

774. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 66 (67), 2-3. 5. 7-8
℟. (7) *Terra dedit fructum suum;*
benedícat nos Deus, Deus noster.

Ps 125 (126), 4-5. 6
℟. (3) *Magnificávit Dóminus fácere nobíscum.*

Ps 146 (147), 7. 8-9. 10-11

℟. (5) *Magnus Dóminus noster et magnus virtúte,*
sapiéntiæ eius non est númerus.

775. Minister, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

Preces

776. Ubi opportunum videtur, ante orationem benedictionis, communis prex haberi potest. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, minister seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

Benedictiónem labóris mánuum nostrárum cum gratiárum actióne a Dómino peténtes, ne obliviscámur fructus iustítiæ nobis esse in vita nostra faciéndos. Súpplices ígitur Deum deprecémur dicéntes:

℟. *Fructus óperis nostri réspice, Dómine.*

Providentíssime Deus,
qui nobis e terra aliméntum
in tua providéntia donásti,
— fac ut hi fructus
quos in sudóre vultus nostri de terra collégimus,
et vitam nobis susténtent,
et mentis ádiuvent increméntum. ℟.

Qui per Iesum Christum Fílium tuum
nos fructu iustítiæ replevísti,
— da ut, in illo manéntes,
eius vitæ plenitúdinem hauriámus
et fructum plúrimum afferámus. ℟.

Qui fructus mánuum nostrárum
uti signa mystérii fídei in Eucharístia assumpsísti,
— da ut ea, quæ ad mensam Fílii tui
sacránda deférimus,
ad Ecclésiæ vitam sustentándam profíciant. ℟.

Qui ómnia bona univérsis fíliis tuis
æque participánda dispónis,
— fac ut omnes egéni
quiétam et tranquíllam vitam degéntes
líbere te gloríficent et sine fine colláudent. ℟.

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

777. Quando preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, minister dicit:

Orémus.

Et pro opportunitate omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc orationem benedictionis profert.

ORATIO BENEDICTIONIS

778. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, manibus extensis, vel si est laicus, manibus iunctis, orationem benedictionis profert:

Dómine Deus, Creátor ómnium,
qui de rore cæli et de pinguédine terræ
frúctuum abundántiam conférre non désinis:
piíssimæ maiestáti tuæ
pro colléctis frúctibus grátias ágimus,
et quia per hæc dona, quæ de tua benignitáte suscépimus,
fidélium tuórum replésti desidérium,
ipsi misericórdias tuas sine fine colláudent,
et sic tránseant per bona temporália,

ut ætérna semper inquírant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

779. Vel:

Orámus pietátem tuam, omnípotens Deus,
ut fructus terræ,
quo áeris et plúviæ temperaménto nutríre dignáris,
benedictiónis tuæ imbre perfúndas,
et tríbuas pópulo tuo,
de tuis munéribus tibi semper grátias ágere,
ut fertilitáte terræ,
esuriéntium ánimas bonis affluéntibus rêpleas
et egéni et páuperes nomen laudent glóriæ tuæ.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

CONCLUSIO RITUS

780. Tum minister ritum concludit, dicens ad adstantes conversus:

Benedicámus Patrem, et Fílium cum Sancto Spíritu,
laudémus et superexaltémus eum in sǽcula.

℟. Amen.

781. Laudabiliter ritus cantu apto perficitur.

CAPUT XXIV

ORDO BENEDICTIONIS MENSÆ

PRÆNOTANDA

782. Ad pastum accedens et ab eo recedens, christifidelis, sive solus est sive cum aliis fratribus, providenti Deo gratias agit de cibo, quem cotidie de eius accipit bonitate. Memorat insuper Dominum Iesum Eucharistiæ sacramentum cum ritu conviviali coniunxisse, seque a mortuis suscitatum discipulis monstrasse in fractione panis.

783. Christifidelis, qui ad mensam accedit, in cibo sibi præstito Dei benedictionis signum agnoscens, haud immemor esse debet pauperum qui eodem victu, quo ipse forsan abundat, minime fruuntur: quare sua etiam sobrietate, eorum, quantum potest, subvenit egestati; quinimmo libenter interdum ipsos ad mensam suam in signum fraternitatis invitat, secundum Christi verba in Evangelio relata (cf. Lc 14, 13-14).

784. Schemata, textus ac formulæ quæ hic proponuntur tamquam subsidia habentur, quibus tum familiæ tum cuiusvis generis communitates uti possint. Convenit vero ut, præsertim quibusdam diebus vel temporibus liturgicis, huic benedictioni nota magis respondens indoli pænitentiali vel festivæ tribuatur.

SCHEMA PRIMUM

ANTE PRANDIUM

785. Qui præsidet dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

Deinde:

℣. Omnes a te exspéctant, ut des illis escam
in témpore opportúno.
℟. Dante te illis, cólligent,
aperiénte te manum tuam,
implebúntur bonis.

℣. Patrem invocémus, qui filiórum suórum
curam semper agit:
℟. Pater noster, qui es in cælis líbera nos a malo.
Quia tuum est regnum, et potéstas,
et glória in sæcula. Amen.

Denique qui præest, signans se ac dona, si sacerdos vel diaconus est, dicat:

℣. Bénedic ✠ Dómine, nos et hæc tua dona,
quæ de tua largitáte sumus sumptúri.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

POST PRANDIUM

786.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua.
℟. Et sancti tui benedícant tibi.

℣. Agimus tibi grátias, omnípotens Deus,
pro univérsis benefíciis tuis.
Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.
℟. Amen.

℣. Retribúere, dignáre, Dómine,
ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum,
vitam ætérnam.
℟. Amen.

vel:

℣. Refícere, dignáre, Dómine,
omnes hómines necessáriis aliméntis,
ut tibi nobíscum grátias agant.
℟. Amen.

ANTE CENAM

787. Qui præsidet dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

Deinde:

℣. Edent páuperes et saturabúntur,
et laudábunt Dóminum, qui requírunt eum.
℟. Vivant corda eórum in sǽculum sǽculi.

℣. Dóminum invocémus,
qui panem cotídie præstat nobis:
℟. Pater noster, qui es in cælis ...
Quia tuum est regnum ...

℣. Prótege nos, Dómine, Deus noster,
et fragilitáti nostræ necessárium præbe subsídium.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

POST CENAM

788.

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum,
miséricors et miserátor Dóminus.
℟. Escam dedit timéntibus se.

℣. Satiáti sumus, Dómine, de tuis donis ac datis;
de tua nos misericórdia replére dignéris.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

vel:

℣. Benedíctus Deus in donis suis,
et sanctus in ómnibus opéribus suis.
Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

℣. Retribúere, dignáre, Dómine,
ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum,
vitam ætérnam.
℟. Amen.

vel:

℣. Refícere, dignáre, Dómine,
omnes hómines necessáriis aliméntis,
ut tibi nobíscum grátias agant.
℟. Amen.

789. Prædictus modus benedicendi mensam et agendi gratias, servetur omni tempore, præterquam diebus infrascriptis, quibus versus tantum variantur.

Tempore Adventus

ANTE REFECTIONEM

℣. Qui pascis pópulum tuum, Dómine, inténde.
℟. Excita poténtiam tuam et veni.

POST REFECTIONEM

℣. Sóbrie, iuste et pie vivámus in hoc sǽculo.
℟. Exspectántes beátam spem
et advéntum Salvatóris nostri Iesu Christi.

Tempore Nativitatis

ANTE REFECTIONEM

℣. Verbum caro factum est, allelúia.
℟. Et habitávit in nobis, allelúia.

POST REFECTIONEM

℣. Notum fecit Dóminus, allelúia.
℟. Salutáre suum, allelúia.

Tempore Quadragesimæ

ANTE REFECTIONEM

℣. Non in solo pane vivit homo.
℟. Sed in omni verbo quod procédit de ore Dei.

POST REFECTIONEM

℣. Advenérunt nobis dies pæniténtiæ.
℟. Ad rediménda peccáta, ad salvándas ánimas.

Feria V, Feria VI et Sabbato Hebdomadæ sanctæ

ANTE ET POST REFECTIONEM

℣. Christus factus est pro nobis obœdiens usque ad mortem.
℟. Mortem autem crucis.

Hebdomada paschali

ANTE ET POST REFECTIONEM

℣. Hæc est dies quam fecit Dóminus, allelúia.
℟. Exsultémus et lætémur in ea, allelúia.

Tempore paschali

ANTE REFECTIONEM

℣. Qui credíderant, sumébant cibum
cum exsultatióne et simplicitáte cordis, allelúia.
℟. Collaudántes Deum, allelúia.

POST REFECTIONEM

℣. Cognovérunt discípuli Dóminum, allelúia.
℟. In fractióne panis, allelúia.

SCHEMA SECUNDUM

I. *Tempore Adventus*

ANTE REFECTIONEM

790. Qui mensæ præest, dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

791. Tum fit Lectio brevis ab uno ex abstantibus:

Audíte, fratres, verba Isaíæ prophétæ. Is 58, 10. 11a.

Si effúderis esuriénti ánimam tuam et ánimam afflíctam satiáveris, oriétur in ténebris lux tua, et calígo tua erit sicut merídies. Et te ducet Dóminus semper, et satiábit in locis áridis ánimam tuam.

792. Vel:

Audíte, fratres, verba Actuum Apostolórum. Act 2, 44-47a.

Omnes qui credíderant erant páriter et habébant ómnia commúnia et possessiónes et substántias vendébant et dividébant illas ómnibus, prout cuíque opus erat; cotídie quoque perdurántes unanímiter in templo et frangéntes circa domos panem, sumébant cibum cum exsultatióne et simplicitáte cordis, collaudántes Deum et habéntes grátiam ad omnem plebem.

793. Vel:

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Corínthios.
2 Cor 9, 8-10.

Potens est Deus omnem grátiam abundáre fácere in vobis, ut, in ómnibus semper omnem sufficiéntiam habéntes, abundétis in omne opus bonum, sicut scriptum est: « Dispérsit, dedit paupéribus, iustítia eius manet in ætérnum ». Qui autem admínistrat semen seminánti, et panem ad manducándum præstábit et multiplicábit semen vestrum et augébit increménta frugum iustítiæ vestræ.

794. Vel:

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Ephésios. 5, 19-20.

Loquéntes vobismetípsis in psalmis et hymnis et cánticis spiritálibus, cantántes et psalléntes in córdibus vestris Dómino. Grátias agéntes semper pro ómnibus in nómine Dómini nostri Iesu Christi, Deo et Patri.

795. Vel:

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Thessalonicénses.
1 Th 5, 16-18.

Semper gaudéte, sine intermissióne oráte, in ómnibus grátias ágite; hæc enim volúntas Dei est in Christo Iesu erga vos.

796. Vel:

Audíte, fratres, verba epístolæ ad Hebræos. 13, 1-2.

Cáritas fraternitátis máneat. Hospitalitátem nolíte oblivísci, per hanc enim quidam nesciéntes hospítio recepérunt ángelos.

797. Vel:

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Matthǽum.
6, 31ab. 32b-33.

Nolíte sollíciti esse dicéntes: « Quid manducábimus? » aut « Quid bibémus? ». Scit enim Pater vester cæléstis quia his ómnibus indigétis. Quǽrite autem primum regnum Dei et iustítiam eius, et hæc ómnia adiciéntur vobis.

798. Quo lecto, qui præest addit (si est sacerdos vel diaconus signum crucis faciens):

Orémus.

Deus, misericordiárum Pater,
qui, ut nobis vitam rédderes,
Fílium tuum carnem suscípere voluísti;
bénedic ✠ hæc tua dona,
quibus córpora sumus refectúri,
ut víribus confirmáti,
gloriósum Christi advéntum
vígiles exspectémus.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Post refectionem

799.

℣. Sóbrie, iuste et pie vivámus in hoc sǽculo.
℟. Exspectántes beátam spem
et advéntum Salvatóris nostri Iesu Christi.

Qui præest addit:

Orémus.

Grátias tibi ágimus, omnípotens Deus,
qui providéntiæ tuæ donis
nos refecísti benígnus;
concéde, quǽsumus,
ut dum córpora sublevántur
spíritus étiam confirméntur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

II. *Tempore Nativitatis*

Ante refectionem

800. Omnia fiunt ut supra, tempore Adventus, præter sequentia:

Orémus.

Benedíctus es, Dómine Deus,
qui in beátæ Maríæ virginitáte fecúnda
exspectatiónem páuperum implevísti:
concéde, quǽsumus, ut eádem fide
qua ipsa Fílium sustínuit nascitúrum,
eúndem et nos in frátribus agnoscámus.
Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

Post refectionem

801. Qui præest dicit:

℣. Verbum caro factum est, allelúia.
℟. Et habitávit in nobis, allelúia.

Orémus.
Pater sancte, cuius Verbum caro factum
puer natus est nobis

et fílius natus est nobis,
concéde, quǽsumus,
ut et ipsi fratrum nostrórum addícti servítio
eórum ánimas satiémus et córpora.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

III. *Tempore Quadragesimæ*

Ante refectionem

802. Omnia fiunt ut supra, tempore Adventus, præter sequentia:

Orémus.

Tibi, Dómine, grátias ágimus
qui his aliméntis nos vesci concédis:
egéntibus quoque providére dignéris,
et ad beátam mensam regni tui
omnes unánimes tríbue congregári.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Post refectionem

803. Qui præest dicit:

℣. Non in solo pane vivit homo.
℟. Sed in omni verbo quod procédit de ore Dei.

Orémus.

Deus, qui quadragesimáli Fílii tui ieiúnio édoces nos
non in solo pane, hóminis consístere vitam,
sed in omni verbo
quod procédit de ore tuo,
ádiuva nos, quǽsumus,

ad corda nostra sursum elevánda,
ut tua virtúte roboráti
te in frátribus sincére diligámus.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

IV. *Feria V, Feria VI et Sabbato Hebdomadæ Sanctæ*

ANTE REFECTIONEM

804. Omnia fiunt ut supra, tempore Adventus, præter sequentia:

Orémus.

(si est sacerdos vel diaconus, signum crucis facit)

Dómine Iesu Christe,
qui Patris voluntátem adímplens
factus es pro nobis obœ́diens usque ad mortem,
bénedic ✠ nos
ad hanc mensam familiáriter congregátos,
ut eódem quo tu spiritáli cibo fruéntes,
semper probémus quæ sit volúntas Dei
bona, benéplacens atque perfécta.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

POST REFECTIONEM

805. Qui præest dicit:

℣. Christus factus est pro nobis obœ́diens usque ad mortem.
℟. Mortem autem crucis.

Orémus.

Deus, Pater cunctárum géntium,
hanc famíliam tuam propítius réspice

et concéde, ut sicut ad hanc mensam lætánter accéssimus,
ita cum ómnibus in regno tuo
gáudium plenum aliquándo partíri mereámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

V. *Tempore Paschali*

Ante refectionem

806. Omnia fiunt ut supra, tempore Adventus, præter sequentia:

Orémus.

Te, Dómine, Iesu Christe, cum gáudio collaudámus
qui a mórtuis suscitátus
discípulis apparuísti in fractióne panis;
exsta, Dómine, in médio nostri
dum hæc dona grátias agéntes súmimus;
nosque in regnum tuum éxcipe commensáles,
qui te in frátribus hóspitem receptámus.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

Post refectionem

807. Qui præest dicit:

℣. Cognovérunt discípuli Dóminum, allelúia.
℟. In fractióne panis, allelúia.

Orémus.

Deus, fons vitæ,
paschále gáudium in córdibus nostris effúnde
et quibus dedísti cibum de terra desúmptum
in nova nos concéde vita iúgiter permanére,

quam Christus resúrgens nobis proméruit
nobísque misericórditer impertívit.
Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

VI. *Tempus per Annum*

ANTE REFECTIONEM

808. Omnia fiunt ut supra, tempore Adventus, præter sequentia:

Orémus.
(si est sacerdos vel diaconus, signum crucis facit)

Dómine, Deus noster,
qui fíliis tuis patérna súbvenis caritáte;
bénedic ✠ nos et hæc tua dona,
quæ de tua largitáte sumus sumptúri:
et concéde benígnus ut omnes gentes
providéntiæ tuæ munéribus perfruántur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

809. Vel:

Dómine Deus, qui ómnia creáta consérvas
filiísque tuis necessárium cibum
præbére non cessas
te benedícimus propter hanc
ad quam accédimus mensam fratérnam,
qua dum nutriméntum súmimus
córpora confirmámus,
teque rogámus ut fides quoque nostra,
verbo tuo enutríta,
in regno tuo quæréndo iúgiter augeátur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

810. Vel:

Deus, amátor vitæ,
qui cæli vólucres nutris
et lília campi convéstis:
te benedícimus propter omnes creatúras
et propter hunc cibum, quem sumus sumptúri,
teque, Dómine, humíliter implorámus,
ut in tua bonitáte
ómnibus necessárium provídeas aliméntum.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

811. Vel:

(si est sacerdos vel diaconus, signum crucis facit)

Infinítæ bonitátis Deus,
qui in fractióne panis
filiórum tuórum unitátem éfficis firmiórem:
bénedic ✠ nos et hæc tua dona et præsta,
ut ad hanc commúnem mensam
in gáudio considéntes,
fratérnam vitam iúgiter alámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Post refectionem

812. Qui præest dicit:

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore
℟. Semper laus eius in ore meo.

Orémus.

Grátias ágimus tibi, Dómine,
bonórum ómnium largítor,

qui nos ad hanc mensam misericors congregásti;
præsta: ut, córpore reficti,
álacres iter nostrum pérgere mereámur in terris
et ad cæléste aliquándo convívium felíciter perveníre.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

813. Vel:

Dómine, qui omnem nutris viventem,
in tui nos amóre consérva,
quos ad hanc mensam assídere tribuísti:
et nos pro frátribus redde sollícitos,
ut quibúscum cibum communicáre gaudémus,
mensam étiam cæléstem in regno tuo
aliquándo partíri possímus.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

814. Vel:

Grátias tibi, Dómine, persólvimus,
qui nos hac mensa refícere voluísti:
præsta ut quod corporáliter súmpsimus,
ad spíritus étiam cónferat increméntum.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

SCHEMA TERTIUM

ANTE REFECTIONEM

815. Communitate congregata, qui præest dicit:

℣. Benedicámus Dómino propter dona eius.
℟. Omni témpore grátias agámus Dómino.

℣. Laus eius semper in ore nostro.
℟. Omni témpore grátias agámus Dómino.

(si est sacerdos vel diaconus, signum crucis facit)

Te laudámus, Dómine, a quo bona cuncta procédunt:
bénedic ✠ hæc aliménta, quæ sumus sumptúri
et præsta,
ut in spíritu veræ fraternitátis
unum in te simus unúmque in te iúgiter maneámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

POST REFECTIONEM

816.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum.
℟. Ex hoc nunc et usque in sǽculum.

℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.
℟. Ex hoc nunc et usque in sǽculum.

Deus, Pater noster,
grátias ágimus tibi propter cibum
quem nobis familiáriter congregátis
in tua munificéntia præstitísti:
concéde, quǽsumus, ut et nos
de tuis donis ac datis,
sponte frátribus largiéntes,
ætérni convívii partícipes esse possímus.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

SCHEMA QUARTUM

ANTE REFECTIONEM

817. Omnes initio signo crucis se signant, et qui præest (si est sacerdos vel diaconus, signum crucis faciens) dicit:

Bénedic ✠ Dómine, nos et hæc tua dona,
quæ de tua largitáte sumus sumptúri.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

818. Vel:

Prótege nos, Dómine, Deus noster,
et fragilitáti nostræ necessárium præbe subsídium.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

819. Vel:

Tua nos, Dómine, dona refíciant
et tua grátia consolétur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

820. Vel:

(si est sacerdos vel diaconus, signum crucis facit)

A te, Dómine, bona cuncta descéndunt:
bénedic ✠ quǽsumus, hæc aliménta,
quæ, grátias agéntes, accípere cúpimus.

℟. Amen.

821. Vel:

Benedíctus es, Pater omnípotens,
qui nobis panem præbes cotidiánum.

Benedíctus Fílius tuus Unigénitus,
qui verbo suo nos álere non cessat.
Benedíctus Spíritus Sanctus,
qui ad hoc fraternitátis convívium nos congregávit.
℟. Amen.

POST REFECTIONEM

822. Qui præest dicit:

Agimus tibi grátias, omnípotens Deus,
pro univérsis benefíciis tuis.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

823. Vel:

Satiáti sumus, Dómine, de tuis donis ac datis;
de tua nos misericórdia replére dignéris.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

824. Vel:

Benedíctus Deus in donis suis
et sanctus in ómnibus opéribus suis.
Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

825. Vel:

Grátias ágimus tibi, Dómine, sancte Pater,
qui cibum ad manducándum
potúmque ad bibéndum nobis contulísti.
Da nobis ut mensæ regni tui
aliquándo partícipes effécti,

cánticum laudis iúgiter decantémus.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

826. Vel:

Retribúere, dignáre, Dómine,
ómnibus nobis bona faciéntibus
propter nomen tuum,
vitam ætérnam.

℟. Amen.

827. Vel:

Refícere, dignáre, Dómine,
omnes hómines necessáriis aliméntis,
ut tibi nobíscum grátias agant.

℟. Amen.

PARS TERTIA

DE BENEDICTIONIBUS RERUM QUÆ IN DOMIBUS ECCLESIÆ AD USUM LITURGICUM VEL PIÆ DEVOTIONIS DESTINANTUR AUT ERIGUNTUR

PRÆNOTANDA PARTIS TERTIÆ

828. Ecclesia semper peculiari sedulitate curavit ut res, quæ ad cultum quodammodo pertinent, dignæ, decoræ et pulchræ eligerentur atque, benedictione ditatæ, tantummodo ad sacras celebrationes peragendas adhiberentur, minime autem ad usum communem. Quam consuetudinem Ecclesia conservare intendit.

Quapropter res benedictione ad cultum divinum destinatæ, reverenter ab omnibus sunt tractandæ nec ad usum non proprium seu in communibus actionibus adhibendæ.

829. Ut vero Ordines ad benedicendas res, quæ in domibus ecclesiæ ad usum liturgicum vel piæ devotionis destinantur aut eriguntur, opportune compleantur, præter celebrationes in ceteris libris liturgicis indicatæ, sequentes adduntur.

830. Quando domus ecclesiæ ritu dedicationis Deo consecrantur vel rite benedicuntur, omnia quæ in eis inveniuntur, altari excepto, ipso ritu dedicationis aut benedictionis benedicta ac erecta habeantur, ita ut nova benedictione vel erectione non indigeant.

831. Quædam benedictiones, uti benedictio Crucis et imaginum, quæ publicæ venerationi exhibentur; benedictio campanæ, organi et ianuæ ecclesiæ, necnon erectio stationum Viæ Crucis, cum in vita communitatis ecclesialis significationem ac momentum pastorale præcipuum præ se ferant, iure ab Episcopo vel presbytero ecclesiæ rectore peraguntur. Attamen, peculiaribus in adiunctis, absente presbytero, diacono committi possunt.

CAPUT XXV

ORDO BENEDICTIONIS BAPTISTERII SEU NOVI FONTIS BAPTISMALIS

PRÆNOTANDA

832. Inter potiores partes ecclesiæ iure baptisterium eminet seu locus in quo fons baptismalis positus est. Ibi enim celebratur Baptismus, primum novi Fœderis sacramentum, quo homines Christo in fide adhærentes, et Spiritum adoptionis filiorum accipientes,[1] filii Dei nominantur et sunt;[2] complantati similitudini mortis et resurrectionis Christi,[3] in eius corpore inseruntur;[4] Spiritus unctione perfusi, templum Dei sanctum exsistunt,[5] necnon membra Ecclesiæ, « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus in acquisitionem ».[6]

833. Cum Baptismus sit totius vitæ christianæ initium, omnes ecclesiæ cathedrales omnesque ecclesiæ parœciales suum quæque baptisterium habeant, seu locum, ubi fons baptismalis scaturiat vel collocetur. Attamen propter rationes pastorales, de consensu Ordinarii loci,[7] in aliis quoque ecclesiis sive oratoriis baptisterium erigi vel fons baptismalis collocari potest.

834. In novis baptisteriis ædificandis seu fontibus baptismalibus exstruendis, id in primis præ oculis habeatur, ut ritus Baptismi, prout sive in Ordine Baptismi parvulorum sive in Ordine initiationis christianæ adultorum describuntur, digne et apte possint ibi celebrari.

[1] Cf. Rom 8, 15.
[2] Cf. 1 Io 3, 1; Io 1, 12; Rom 9, 8.
[3] Cf. Rom 6, 5.
[4] Cf. Eph 5, 30; 1 Cor 12, 27; Rom 12, 5.
[5] Cf. 1 Cor 3, 16-17; 6, 19; 2 Cor 6, 16; Eph 2, 21-22.
[6] 1 Pt 2, 9.
[7] Cf. *Rituale Romanum,* Ordo Baptismi parvulorum, Prænotanda, n. 11.

835. Sive baptisterium sit ab aula seiunctum, in quo ritus Baptismi integre celebrentur, sive agatur de fonte in ipsa aula, omnia ita disponentur ut manifeste pateat nexus Baptismi cum verbo Dei et cum Eucharistia, quæ culmen est initiationis christianæ.

836. Baptisterium ab aula ecclesiæ seiunctum dignum sit mysterio quod ibi celebratur atque Baptismo reservetur,[8] ut decet locum ex quo, veluti e gremio Ecclesiæ, per aquam et Spiritum Sanctum renascuntur homines.

837. Fons baptismalis, præsertim in baptisterio, fixus esse debet, semper autem ex apta materia affabre confectus, munditia nitens atque aptus etiam, si casus ferat, catechumenis mergendis.[9] Fons, quo signum plenius fiat, exstrui etiam potest ita ut aqua tamquam e vero fonte, viva prosiliat. Provideatur insuper ut, iuxta regionum necessitates, aqua calefieri possit.[10]

De ritu benedictionis

838. Cum novum baptisterium ædificatur vel novus fons baptismalis exstruitur, expedit celebrari benedictionis ritum peculiarem, qui autem non adhibetur si agitur tantum de vase mobili, « in quo, pro opportunitate, præparatur aqua ad celebrationem in presbyterio agendam ».[11]

De ritus ministro

839. Cum administratio Baptismi initium constituat illius vitæ spiritalis quæ ab Episcopo, sacerdote magno suorum in Christo fidelium, quodammodo derivatur et pendet,[12] expedit ut ipse Episcopus nova baptisteria seu fontes baptismales quæ in sua diœcesi ædificantur benedicat; quod tamen munus alii Episcopo vel presbytero committere potest, ei præsertim quem socium et adiutorem habeat in cura pastorali fidelium pro quibus fons baptismalis vel novum baptisterium est erectum. Si Episcopus præest, omnia quæ hic describuntur opportune aptentur.

[8] *Rituale Romanum,* Ordo Baptismi parvulorum, Prænotanda generalia, n. 25.
[9] Cf. *Ibid.,* n. 22.
[10] *Ibid.,* n. 20.
[11] *Ibid.,* n. 19.
[12] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 41.

De die eligendo

840. Quo clarius exprimatur indoles paschalis Baptismi et fidelium concursus foveatur, ad baptisterium benedicendum eligatur de more dies dominica, præsertim temporis paschalis vel Dominica aut festum Baptismatis Domini.

Ritus vero benedictionis baptisterii celebrari nequit in Feria IV Cinerum, in Hebdomada Sancta, et in Commemoratione omnium fidelium defunctorum.

De præparatione pastorali

841. Novi baptisterii vel fontis baptismalis erectio magni momenti est in vita spiritali communitatis christianæ. Ideo fideles non solum tempestive certiores fiant de novi baptisterii benedictione sed etiam opportune præparentur ut actuose ritui intersint. Præsertim de fontis baptismalis sensu ac signo erudiantur oportet, ut erga Baptismum eiusque signum, qui est fons baptismalis, veneratione imbuantur et amore.

De rebus parandis

842. Ad ritum peragendum hæc parentur:
— fons aqua repletus;
— cereus paschalis in processione ferendus;
— candelabrum in quo cereus deponatur;
— Rituale Romanum;
— Lectionarium;
— turibulum et navicula cum incenso;
— vas in quod aqua noviter benedicta infundetur, cum aspersorio;
— sedes pro celebrante et ceteris ministris.

Cum Baptismus confertur, præter hæc, parentur omnia quæ ad sacramentum celebrandum sunt necessaria.

843. In hoc ritu sacræ vestes coloris albi vel festivi adhibentur. Parentur autem:
— (pro Episcopo: alba, crux pectoralis, stola, pluviale vel casula si Missam quoque celebret, mitra, baculus pastoralis);
— pro presbyteris: albæ et stolæ vel vestes pro Missa requisitæ;
— pro diaconis: albæ, stolæ (dalmaticæ);
— pro ceteris ministris, albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.

ORDO BENEDICTIONIS

I. *Benedictio novi fontis baptismalis celebrationi Baptismi coniuncta*

RITUS INITIALES

844. Populo congregato, celebrans et presbyteri, diaconi et ministri, sua quisque veste indutus, e secretario per aulam ecclesiæ ad baptisterium pergunt. Præcedit turiferarius cum turibulo fumiganti; sequitur acolythus cum cereo paschali et alii. Baptizandi autem cum patrinis opportune processioni intersunt, secus in baptisterii apto loco congregantur.

845. Incedente processione, canuntur Litaniæ Sanctorum.

846. Cum processio ad baptisterium pervenerit, omnes in locis sibi adsignatis consistunt. Cereus autem paschalis collocatur super candelabrum paratum in medio baptisterio vel apud fontem baptismalem. Litaniarum cantu expleto, celebrans populum salutat, dicens:

Grátia Dómini nostri Iesu Christi,
et cáritas Dei,
et communicátio Sancti Spíritus
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacra Scriptura præsertim deprompta.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

847. Deinde celebrans fideles ad celebrationem opportune disponit his vel similibus verbis:

Ad lætam celebratiónem peragéndam, huc, fratres caríssimi, convénimus. Novum enim Baptísmi fontem hódie aperiémus et his eléctis conferémus regeneratiónis sacraméntum, ut,

misericórdiam Dei consecúti, Ecclésiam, pópulum acquisitiónis, ingrediántur, Christo primogénito in multis frátribus, sociéntur, et, Spíritu adoptiónis accépto, novo filiórum título Deum Patrem áudeant exoráre.

848. Admonitione expleta, celebrans, manibus iunctis, dicit:

Orémus.

et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc celebrans, manibus extensis, dicit:

Deus, qui in regeneratiónis mystério
filiórum tuórum númerum multiplicáre non désinis,
concéde ut,
quicúmque ex hoc salútis fonte renascéntur,
móribus et vita nomen tuum gloríficent
et Ecclésiæ matris áugeant sanctitátem.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Receptio baptizandorum

849. Expleta oratione, fit ritus receptionis baptizandorum. Pro electorum condicione, adhibetur, aptatis aptandis, ritus qui in Ordine Baptismi parvulorum (nn. 36-43) invenitur aut ritus qui in Ordine initiationis christianæ adultorum (nn. 246-251), describitur, nisi hic ritus iam peractus sit in secundo gradu initiationis christianæ adultorum (nn. 140-151).

Liturgia verbi Dei

850. Omnia fiunt ut in Ordine initiationis christianæ adultorum (nn. 252-253) et in Ordine Baptismi parvulorum (nn. 44, 81, 112), adhibitis lectionibus aptis ex Lectionario.[13]

[13] Cf. *Missale Romanum,* Ordo Lectionum Missæ, nn. 751-760.

851. Post lectionem verbi Dei, in homilia celebrans lectiones biblicas illustrat, quo adstantes momentum Baptismi et signum fontis plenius intellegant.

852. Ritus præbaptismales fiunt ut in Ordine initiationis christianæ adultorum (nn. 255-256) et in Ordine Baptismi parvulorum (nn. 49-52).

Benedictio novi fontis

853. Baptizandi circum novum fontem baptismalem disponuntur: parvuli in ulnis matrum, adulti stantes cum patrinis. Deinde celebrans fideles ad orationem invitat his vel similibus verbis:

Tempus instat, fratres dilectíssimi, hunc fontem sacrándi Ecclésiæ oratióne, ut eius aquis, Spíritus Sancti múnere, virtus sanctificándi infundátur. Sed in primis Deum Patrem obsecrémus pro his fámulis eius N. et N., qui sanctum Baptísmum póstulant: quos ipse vocávit et ad hanc horam regeneratiónis addúxit, eis lumen et robur largíri dignétur, ut, Christo fírmiter adhæréntes, ad vitæ plenitúdinem pervéniant.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc celebrans ad fontem, aqua repletum, conversus, manibus extensis, dicit:

Deus, mundi creátor, omniúmque Pater,
tibi nos decet gratas persólvere laudes,
quia nobis concédis hunc fontem salútis
Ecclésiæ tuæ, ritu aperíre sollémni.
Iánua spiritális vitæ hic reserátur homínibus,
ut quibus paradísi porta fuit clausa,
aperiátur Ecclésiæ;
bálneus patet,
ubi quos peccáti vetústas sórdidos fecit
nóvitas lavácri puros candidósque restítuat.
Gurges pánditur, cuius túrbines rápiunt peccáta,
ut gérminent novéllas virtútes;

fons scatet, e látere Christi manans,
cuius lymphæ tránsferunt bibéntes in vitam ætérnam.
Lampas fídei hinc lumen sanctum diffúndit,
quod ténebras díscutit méntium
et renátis prodit cæléstia;
hic credéntes, undis mersi, Christi morti sociántur,
ut cum ipso in novitáte vitæ resúrgant.
Mitte, quǽsumus, Dómine,
in hanc aquam
Spíritus tui fértilem auram:
virtus, quæ obumbrávit Vírginem
ut páreret Primogénitum,
Ecclésiæ sponsæ grémium fecúndet,
ut tibi, Pater, innúmeros fílios gignat
cælorúmque géneret íncolas.
Concéde, Dómine, ut plebes ex hoc fonte oritúræ
ópere perfíciant quod fide promíserint,
et quod tua grátia esse céperint vita demónstrent.
Qui natióne divérsi, divérsi condicióne,
ex uno vitáli lavácro germáni emérserint,
fratres reveléntur caritáte,
concíves agnoscántur concórdia.
Sint fílii patérnæ bonitátis reddéntes imáginem;
discípuli, verba Magístri fidéliter custodiéntes;
ædes, Spíritus Sancti resonántes vocem.
Sint Evangélii testes, operatóres iustítiæ;
temporálem, quam íncolunt civitátem,
Spíritu ímbuant Christi,
donec in ætérnam Ierúsalem cives mereántur admítti.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

854. Tunc, imposito ture, fontem incensat.

855. Fonte benedicto, celebratio Baptismi continuatur pro condicione baptizandorum, ut in Ordine Baptismi parvulorum (nn. 56-66), aut in Ordine initiationis christianæ adultorum (nn. 217-234 vel 259-273), indicatur.

CONCLUSIO RITUS

856. Si agitur de Baptismo parvulorum, ritus concluditur ut in Ordine Baptismi parvulorum (nn. 67-71), indicatur, vel modo qui hic proponitur.

857. Celebrans benedicit matres, parvulos in bracchiis gestantes, patres, populum, dicens:

Deus, ómnium Creátor,
qui sanæ paternitátis mystérium homínibus partícipat,
hos patres effíciat Evangélii testes atque præcónes.

Omnes:

Amen.

Christus Dei Fílius,
qui fíeri dignátus est Fílius Vírginis Maríæ,
has matres lætas reddat de fíliis suis
ad vitam ætérnam regenerátis.

Omnes:

Amen.

Spíritus Sanctus Paráclitus,
qui hos párvulos sanctificávit,
in eórum corde semper inhábitet.

Omnes:

Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes:

Amen.

858. Post benedictionem opportune canitur canticus gaudium paschale et gratiarum actionem exprimens vel *Magníficat*.

859. Denique diaconus populum dimittit more consueto.

860. Secundum perantiquam Ecclesiæ traditionem in initiatione christiana adultorum post Baptismi collationem confertur sacramentum Confirmationis et neophytæ primo Eucharistiam participant. Itaque post Baptismum omnia fiunt ut in Ordine initiationis christianæ adultorum (nn. 227-234 vel nn. 266-273) indicatur.

II. *Benedictio novi fontis baptismalis absque Baptismi collatione*

Ritus initiales

861. Populo congregato, celebrans et ministri, ut supra n. 844 dictum est, e secretario per aulam ecclesiæ ad baptisterium pergunt.

862. Interea canitur antiphona (cf. App. n. 11):

Hauriétis aquas in gáudio
de fóntibus Salvatóris.

Vel:

Apud te, Dómine, est fons vitæ,
et in lúmine tuo vidébimus lumen,
cum Psalmo 35 (36), vel alius cantus aptus.

Psalmus 35 (36), 6-11

6 Dómine, in cælo misericórdia tua *
et véritas tua usque ad nubes;
7 iustítia tua sicut montes Dei, †
iudícia tua abýssus multa: *
hómines et iuménta salvábis, Dómine.

(Repetitur antiphona)

8 Quam pretiósa misericórdia tua, Deus! *
Fílii autem hóminum
in tégmine alárum tuárum sperábunt;
9 inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ, *
et torrénte voluptátis tuæ potábis eos.

(Repetitur antiphona)

10 Quóniam apud te est fons vitæ, *
et in lúmine tuo vidébimus lumen.
11 Prætédne misericórdiam tuam sciéntibus te *
et iustítiam tuam his, qui recto sunt corde.

(Repetitur antiphona)

Glória Patri, et Fílio, *
et Spirítui Sancto.
Sicut erat in princípio, et nunc et semper, *
et in sǽcula sæculórum. Amen.

(Repetitur antiphona)

863. Cum processio ad baptisterium pervenerit, omnes in locis sibi adsignatis consistunt. Cereus autem paschalis collocatur super candelabrum paratum apud fontem baptismalem. Cantu expleto, celebrans populum salutat, dicens:

Grátia Dómini nostri Iesu Christi,
et cáritas Dei,
et communicátio Sancti Spíritus
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacra Scriptura præsertim deprompta.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

864. Deinde celebrans fideles ad celebrationem disponit his vel similibus verbis:

Ad lætam celebratiónem peragéndam, huc, fratres caríssimi, convénimus. Novum enim Baptísmi fontem hódie aperiémus, ut quicúmque ex eo renascéntur, misericórdiam Dei consecúti, Ecclésiam, pópulum acquisitiónis, ingrediántur, Christo primogénito in multis frátribus, sociéntur, et, Spíritu adoptiónis accépto, novo filiórum título Deum Patrem áudeant exoráre.

865. Admonitione expleta, celebrans, manibus iunctis, dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc celebrans, manibus extensis, dicit:

Deus, qui in regeneratiónis mystério
filiórum tuórum número multiplicáre non désinis,
concéde ut,
quicúmque ex hoc salútis fonte renascéntur,
móribus et vita nomen tuum gloríficent
et Ecclésiæ matris áugeant sanctitátem.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

Lectio verbi Dei

866. Quibus peractis, celebrans sedet. Postea leguntur unus vel plures Sacræ Scripturæ textus, ex iis qui in Lectionario proponuntur ad initiationem christianam extra Vigiliam paschalem [14] et in conferendo Baptismate parvulorum,[15] interiectis congruentibus psalmis responsoriis vel spatiis sacri silentii. Lectio autem Evangelii principem locum semper obtineat.

867. Post lectionem verbi Dei fit homilia, in qua celebrans lectiones biblicas illustrat, quo adstantes momentum Baptismi et signum fontis plenius intellegant.

[14] Cf. *Missale Romanum,* Ordo Lectionum Missæ, nn. 751-755.
[15] *Ibidem,* nn. 756-760.

BENEDICTIO NOVI FONTIS

868. Deinde celebrans fideles ad orationem invitat his vel similibus verbis:

Tempus instat, fratres dilectíssimi, hunc fontem sacrándi Ecclésiæ oratióne, ut eius aquis, Spíritus Sancti múnere, virtus sanctificándi infundátur. Súpplices vero Deum Patrem obsecrémus, qui in nostra communitáte fidem christiánam tueátur et animórum fóveat concórdiam: quia fons Baptísmi tum vere patet, cum hóminum aures verbo Dei pandúntur: tum mentes Christi lúmine collustrántur, cum réspuunt ténebras peccáti; tum corda Dómino prompte adhǽrent, cum malígno et opéribus eius fírmiter abrenúntiant.

869. Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc celebrans, ad fontem, aqua repletum, conversus, manibus extensis, dicit:

Deus, mundi creátor, omniúmque Pater,
tibi nos decet gratas persólvere laudes,
quia nobis concédis hunc fontem salútis
Ecclésiæ tuæ, ritu aperíre sollémni.
Iánua spiritális vitæ hic reserátur homínibus
ut quibus paradísi porta fuit clausa,
aperiátur Ecclésiæ;
bálneus patet,
ubi quos peccáti vetústas sórdidos fecit,
nóvitas lavácri puros candidósque restítuat.
Gurges pánditur, cuius túrbines rápiunt peccáta,
ut gérminent novéllas virtútes;
fons scatet, e látere Christi manans,
cuius lymphæ tránsferunt bibéntes in vitam ætérnam.
Lampas fídei hinc lumen sanctum diffúndit,
quod ténebras díscutit méntium
et renátis prodit cæléstia;

hic credéntes, undis mersi, Christi morti sociántur,
ut cum ipso in novitáte vitæ resúrgant.
Mitte, quǽsumus, Dómine,
in hanc aquam
Spíritus tui fértilem auram:
virtus, quæ obumbrávit Vírginem
ut páreret Primogénitum,
Ecclésiæ sponsæ grémium fecúndet,
ut tibi, Pater, innúmeros fílios gignat
cælorúmque géneret íncolas.
Concéde, Dómine, ut plebes ex hoc fonte oritúræ
ópere perfíciant quod fide promíserint,
et quod tua grátia esse céperint vita demónstrent.
Qui natióne divérsi, divérsi condicióne,
ex uno vitáli lavácro germáni emérserint,
fratres reveléntur caritáte,
concíves agnoscántur concórdia.
Sint fílii patérnæ bonitátis reddéntes imáginem;
discípuli, verba Magístri fidéliter custodiéntes;
ædes, Spíritus Sancti resonántes vocem.
Sint Evangélii testes, operatóres iustítiæ;
temporálem quam íncolunt civitátem,
Spíritu ímbuant Christi,
donec in ætérnam Ierúsalem cives mereántur admítti.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

870. Invocatione super fontem expleta, opportune canitur cantus baptismalis, v. gr. antiphona (cf. App. n. 12):

Vox Dómini super aquas,
Deus maiestátis intónuit,
Dóminus super aquas multas.

vel:

Super aquas vox Patris íntonat,
glória Fílii refúlget,
et Spíritus Sancti cáritas vivíficat.

vel:

Fons hic est vitæ, qui totum díluit orbem,
sumens de Christi vúlnere princípium.

Celebrans incensum in turibulum immittit, et fontem incensat.

871. Cantu expleto, pro opportunitate, omnes promissionem fidei baptismalis renovant.

Celebrans his vel similibus verbis fideles alloquitur:

Nunc autem, fratres, fídei mementóte, quam in christiána vestra initiatióne proféssi estis ut eam, grátia Spíritus Sancti ducti, in dies confirmáre possítis.

Postea celebrans adstantes interrogat dicens:

Créditis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cæli et terræ?

Omnes:

Credo.

Celebrans:

Créditis in Iesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum, natum ex María Vírgine, passum et sepúltum, qui a mórtuis resurréxit et sedet ad déxteram Patris?

Omnes:

Credo.

Celebrans:

Créditis in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem et vitam ætérnam?

Omnes:

Credo.

Professioni assentitur celebrans, proclamans fidem Ecclesiæ:

Hæc est fides nostra. Hæc est fides Ecclésiæ, quam profitéri gloriámur, in Christo Iesu Dómino nostro.

Et fidelium cœtus respondet:

Amen.

Pro formula *Hæc est fides nostra* aliam substituere licet pro opportunitate, vel etiam cantum aptum, quo communitas una voce fidem suam exprimere possit.

872. Deinde celebrans, accipit aspersorium et populum fidelem aspergit aqua ex fonte noviter benedicto assumpta, dum cœtus antiphonam cantat, v. gr. (cf. App. n. 13):

Vidi aquam egrediéntem de templo (cf. Ez 47, 1-2)
a látere dextro, allelúia;
et omnes, ad quos pervénit aqua ista,
salvi facti sunt,
et dicent: Allelúia, allelúia.

vel (cf. App. n. 14):

Effúndam super vos aquam mundam (Ez 36, 25-26)
et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris,
dicit Dóminus.

CONCLUSIO RITUS

873. Ubi opportunum videtur, prex communis haberi potest. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

Deum Patrem omnipoténtem, qui per paschále mystérium ex aqua et Spíritu Sancto ad novam filiórum vitam nos generávit, uno corde deprecémur, dicéntes:

℟. *Rénova in nobis, Dómine, mirabília poténtiæ tuæ.*

Pater misericordiárum,
qui hóminem ad imáginem tuam condidísti
eúmque per Baptísmum sanctificásti,
— fac ut múneris tui et dignitátis nostræ
semper et ubíque mémores simus. ℟.

Tu, qui e látere Christi crucifíxi,
Spíritus Sancti fluénta manáre voluísti,
— fac ut vitáles, quas hauriémus, undæ
in nobis fiant fons aquæ
in vitam ætérnam saliéntis. ℟.

Tu, qui in regeneratiónis lavácro
genus eléctum, regále sacerdótium, gentem sanctam
nos misericórditer constituísti,
— præsta ut christiánum munus adimpléntes,
virtútes tuas homínibus nuntiémus. ℟.

Tu, qui Ecclésiam tuam
nova semper prole fecúndas,
— concéde ut omnes renáti fonte Baptísmatis
sacraméntum vivéndo téneant quod fide percepérunt. ℟.

Tu, qui nobis benígne concessísti
hunc fontem salútis exstrúere,
— tríbue ut catechúmenis sit bálneus vitális,
et nobis ómnibus renovándæ vitæ incitaméntum. ℟.

874. Deinde celebrans opportune introducit orationem dominicam his vel similibus verbis:

Mémores Baptísmi nostri,
in quo Spíritum adoptiónis filiórum accépimus,

et præcéptis salutáribus móniti,
cæléstem Patrem exorémus, dicéntes:

Omnes:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

Celebrans immediate prosequitur:

Deus, qui aquárum fluéntia
mortis et vitæ virtútem indidísti,
præsta ut qui, Christo consepúlti,
in hoc fonte peccátis ómnibus exuéntur,
cum Christo resúrgant,
cándida veste immortalitátis indúti.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

875. Post benedictionem opportune canitur canticus gaudium paschale et gratiarum actionem exprimens vel *Magníficat* (cf. App. n. 36).

876. Denique diaconus populum dimittit more consueto.

CAPUT XXVI

ORDINES BENEDICTIONIS OCCASIONE DATA AUSPICANDI CATHEDRAM SEU SEDEM PRÆSIDENTIÆ VEL AMBONEM VEL TABERNACULUM VEL SEDEM AD SACRAMENTUM PÆNITENTIÆ CELEBRANDUM

PRÆNOTANDA

877. Omnia quæ ad liturgicam celebrationem spectant, quæque in ecclesia dum dedicatur vel benedicitur iam suo loco inveniuntur, recte et ipsa una simul benedicta considerantur. Siquando tamen pars quædam, uti cathedra episcopalis in ecclesia cathedrali, sedes præsidentialis, ambo ad verbum Dei proclamandum, locus repositionis Ss.mi Sacramenti seu tabernaculum eucharisticum, sedes ad sacramentum Pænitentiæ celebrandum, primo in usum deducantur vel etiam innoventur, opportunum esse potest earundem momentum apta celebratione fidelibus ostendere et commendare.

878. Principia ac normæ de his ecclesiæ partibus exstruendis suoque loco apte disponendis, in libris liturgicis statuta, diligenter ab omnibus serventur.

879. Ordines, qui hic præbentur, adhiberi possunt a sacerdote qui, rituum structura servata, opportune locorum adiunctis celebrationem aptabit.

I. ORDO BENEDICTIONIS OCCASIONE DATA AUSPICANDI NOVAM CATHEDRAM SEU SEDEM PRÆSIDENTIÆ

880. Cathedra signum est præcellens magisterii, quod cuique spectat Episcopo in eius Ecclesia. Ideo ritus aditialis novæ cathedræ ab ipso tantum Episcopo diœcesano celebrari potest, vel, in adiunctis omnino peculiaribus, ab alio Episcopo, cui ipse speciale dederit mandatum.

881. Locus vero præsidentiæ seu sedes sacerdotis celebrantis, munus significat tum cœtui liturgico præsidendi tum etiam plebis sanctæ orationem moderandi.

882. Etsi hic ritus cum Missæ celebratione aptius coniungitur, nihil tamen vetat quominus cum celebratione verbi Dei, data occasione, componi possit.

A. *In celebratione Missæ*

883. In Missa post altaris venerationem atque incensationem, celebrans antequam cathedram vel sedem petit, signat se, dicens:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

884. Deinde celebrans adstantes salutat, unam adhibens formulam ex his quæ in Missali Romano proponuntur.

885. Tunc apta monitione fideles in Missam introducit, simul illis sensum aperiens initialis ritus, qui vel ad cathedram refertur vel ad sedem noviter exstructam. Quod facere potest his vel similibus verbis:

Hódie nova hæc cáthedra (sedes) úsui litúrgico primo destinátur. Deum et Dóminum nostrum, fratres dilectíssimi, collaudémus qui in suis minístris, sacris munéribus addíctis,

præsens adésse dignátur ut per eos fidéles edóceat, regat atque sanctíficet, eúmque rogémus ut digniores semper effíciat qui tam sancto ministério fungántur.

ORATIO BENEDICTIONIS

886. Expleta monitione, celebrans dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Deinde celebrans prosequitur, manibus extensis:

Nomen tuum, Dómine, unísona voce laudámus
et a te súpplici deprecatióne pétimus
ut, qui pastor bonus venísti
ad gregem tuum dispérsum
in unum ovíle misericórditer congregándum,
per eos quos veritátis cooperatóres elegísti,
fidéles tuos enútrias,
eósque regímine sancto custódias,
quátenus in páscua ætérna
et oves aliquándo atque pastóres
mereántur intráre gaudéntes.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

887. Tunc celebrans, imposito incenso in turibulo, cathedram vel sedem incensat. Deinde cathedram vel sedem petit, ibique a ministro incensatur, dum aptus cantus canitur.

888. Missa, actu pænitentiali omisso, prosequitur more solito.

B. *In celebratione verbi Dei*

889. Si benedictio cathedræ, vel sedis, fit in celebratione verbi Dei, hic ordo agendi erit. Celebrans, post salutationem, antequam sedem

petat, fideles breviter alloquitur ut eos ad celebrationem disponat et ritus sensum illustret. Quod facere potest his vel similibus verbis:

Hódie nova hæc cáthedra (sedes) úsui litúrgico primo destinátur. Deum et Dóminum nostrum, fratres dilectíssimi, collaudémus qui in suis minístris, sacris munéribus addíctis, præsens adésse dignátur ut per eos fidéles edóceat, regat atque sanctíficet, eúmque rogémus ut digniόres semper effíciat qui tam sancto ministério fungántur.

ORATIO BENEDICTIONIS

890. Expleta monitione, celebrans dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Deinde celebrans prosequitur, manibus extensis:

Nomen tuum, Dómine, unísona voce laudámus
et a te súpplici deprecatióne pétimus
ut, qui pastor bonus venísti
ad gregem tuum dispérsum
in unum ovíle misericórditer congregándum,
per eos quos veritátis cooperatóres elegísti,
fidéles tuos enútrias,
eósque regímine sancto custódias,
quátenus in páscua ætérna
et oves aliquándo atque pastóres
mereántur intráre gaudéntes.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

891. Tunc celebrans, imposito incenso in turibulo, cathedram vel sedem incensat. Deinde cathedram vel sedem petit, ibique a ministro incensatur, dum aptus cantus canitur.

Lectio verbi Dei

892. Post incensationem celebrantis Sacrarum Scripturarum textus apti leguntur, quos opportune vel psalmus responsorius sequitur, vel etiam sacrum meditationis silentium. Lectio autem Evangelii principem locum semper obtineat.

893. Lectiones:

Neh 8, 1-4a. 5-6. 8-10 « *Stetit Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum* ».
In diébus illis: Congregatúsque est ... *4 usque ad* hoc fécerant. *5* Et apéruit ... *8* Et legérunt ...

Is 40, 9-11 « *Sicut pastor gregem pascit* ».
Super montem excélsum ...

Act 10, 34-48 « *Nos testes sumus omnium quæ fecit* ».
In diébus illis: Apériens Petrus os suum dixit ...

Act 13, 15-32 « *Nos vobis evangelizamus eam, quæ ad patres promissio facta est* ».
In diébus illis: Post lectiónem Legis ...

Lc 4, 16-22a « *Omnium in synagoga oculi erant intendentes in Iesum* ».
Venit Iesus Názareth ... *22 usque ad* de ore ipsíus.

894. Psalmi responsorii:

Ps 118 (119), 129. 130. 133. 135. 144
℟. (105) *Lucérna pédibus meis verbum tuum, Dómine.*

Ps 18B (19B), 8-9. 10. 15
℟. (cf. Io 6, 63c) *Verba tua, Dómine, spíritus et vita sunt.*

895. Lectionibus expletis, celebrans homiliam habet, in qua tum lectiones biblicas tum etiam Christi præsentiam illustrat, in cuius persona sacri ministri munus suum exercent.

Preces

896. Deinde fit prex communis. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

Dóminus noster Iesus Christus ita Ecclésiam suam diléxit, ut per suos minístros atque pastóres, verbis divínis edócta et sacris enutríta mystériis, in via salútis iúgiter persevéret. Eum ígitur láudibus extollámus, dicéntes:

℟. *Grátias tibi, Dómine!*

Benedíctus es, Dómine,
qui per fídei magístros
Evangélium tuum nos edocére non désinis. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui nos gregis tui oves,
per pastóres a te eléctos,
semper nutris atque susténtas. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui nos ad Patris laudes canéndas,
per præcónes tuos, ádvocas atque adhortáris. ℟.

Oratio benedictionis

897. Deinde celebrans prosequitur, manibus extensis:

Dómine Iesu Christe,
qui pastóres Ecclésiæ tuæ docuísti
non ministrári velle,
sed frátribus ministráre,
concéde ut qui hanc cáthedram (sedem) ascéndunt,
verbum tuum alácriter procláment
et mystéria tua digne dispénsent,
quátenus cum plebe sibi commíssa
te in ætérna sede sine fine colláudent.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

CONCLUSIO RITUS

898. Tum celebrans ritum concludit, manibus super fideles extensis, dicens:

Benedícat vos Deus omni benedictióne cæléstì,
sanctósque vos et puros
in conspéctu suo semper effíciat;
divítias glóriæ suæ
in vos abundánter effúndat,
verbis veritátis ínstruat,
Evangélio salútis erúdiat,
et caritáte fratérna semper locuplétet.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

899. Laudabiliter ritus apto cantu perficitur.

II. ORDO BENEDICTIONIS OCCASIONE DATA AUSPICANDI NOVUM AMBONEM

900. Ambo seu locus e quo verbum Dei annuntiatur, eiusdem verbi dignitati respondere debet et in fidelium memoriam redigere mensam verbi Dei semper esse paratam. Hæc vero benedictio tunc tantum impertiri potest cum de vero agitur ambone, qui nempe non simplex sit pluteus mobilis, sed ambo stabilis et sua dignitate conspicuus. Attenta vero cuiusque ecclesiæ structura, etiam ambo mobilis, qui tamen vere emineat, muneri suo congruat et affabre sit ornatus, benedici potest.

901. Hic ritus tum cum Missæ celebratione coniungi, tum etiam occasione data alicuius celebrationis verbi Dei adhiberi potest.

A. *In Missæ celebratione*

902. In Missa omnia fiunt more solito, usque ad collectam inclusive. In processione ad introitum, Evangelium defertur et super altare deponitur. Verbi autem Dei proclamatio sequenti modo laudabiliter evolvitur: duo lectores, quorum unus defert Lectionarium Missæ, una cum psalmista ad celebrantem veniunt.

Celebrans, stans, accipit Lectionarium, ostendit populo, et hæc vel alia apta verba pronuntiat:

Semper résonet in hac aula, Dei verbum, quod Christi mystérium vobis apériat et vestram salútem in Ecclésia operétur.

Omnes respondent:

Amen.

vel alio apto modo.

903. Deinde celebrans Lectionarium priori lectori tradit. Lectores et psalmista ad ambonem pergunt, afferentes Lectionarium, omnibus aspiciendum.

904. Lectiones vel sumuntur e Missa diei, vel hoc modo seligi possunt: prima lectio ex libro Nehemiæ 8, 1-4a. 5-6. 8-10, quam sequitur Ps 18B (19B), 8-9. 10. 15, cum responsorio: ℟. Verba tua, Dómine, spíritus et vita sunt; si altera quoque lectio proclametur, hæc ex epistola Pauli apostoli secunda ad Timotheum 3, 14 — 4, 5a seligi potest; ad Evangelium quod attinet, textus Lc 4, 14-22a laudabiliter proclamatur, præmissa acclamatione: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei, cum vel sine Allelúia, iuxta liturgicum tempus.

905. Post secundam lectionem Evangeliarium diaconus vel, eo absente, presbyter ex altari sumit et præcedentibus ministris cum cereis et incenso ad ambonem defert.

906. Post Evangelium celebrans homiliam habet in qua tum lectiones biblicas tum etiam Christi præsentiam in Dei verbo illustret.

907. Missa deinde prosequitur more solito: si opportunum videtur subiungitur Symbolum, ita ut fideles percipiant ipsis Deo loquenti in fide respondendum esse.

B. *In celebratione verbi Dei*

908. Si benedictio ambonis fit in celebratione verbi Dei, hic erit agendi ordo. Sacerdos, post salutationem, fideles breviter alloquitur ut eos ad celebrationem disponat et ritus sensum illustret. Quod facere potest his vel similibus verbis:

Huc convénimus, fratres, ad hunc ambónem inaugurándum et in sacrum usum deducéndum ut ómnibus illíus mensæ verbi Dei signum appáreat quod nostræ christiánæ vitæ primum idque necessárium præbet nutriméntum. Huic celebratióni inténtis ánimis attendámus, Deum nobis loquéntem fidéliter auscultántes ut eius verba vere sint nobis spíritus et vita.

909. Expleta admonitione, celebrans dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tum celebrans prosequitur, manibus extensis:

Deus, qui ex abundántia caritátis tuæ
ut amícos nos álloqui dignáris,
grátiam Spíritus Sancti
nobis concéde propítius,
ut verbi tui dulcédine perfruéntes,
supereminénti Fílii tui sciéntia impleámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Lectio verbi Dei

910. Deinde Sacrarum Scripturarum textus apti leguntur, quos opportune vel psalmus responsorius sequitur, vel etiam sacrum meditationis silentium. Lectio autem Evangelii principem locum semper obtineat.

911. Lectiones:

Neh 8, 1-4a. 5-6. 8-10 « *Legerunt in libro legis, et explicaverunt lectionem* ».
In diébus illis: Congregatúsque est ... *4 usque ad* hoc fécerant. *5* Et apéruit ... *8* Et legérunt ...

2 Tim 3, 14 — 4, 5a « *Sacræ Litteræ possunt instruere ad salutem per fidem* ».
Caríssime: Pérmane in his ... *4, 5 usque ad* evangelísta.

Lc 4, 16-22a « *Hodie impleta est hæc Scriptura* ».
In illo témpore: Venit Iesus Názareth ... *22 usque ad* de ore ipsíus.

912. Psalmi responsorii:

Ps 18B (19B), 8-9. 10. 15
℟. (cf. Io 6, 63c) *Verba tua, Dómine, spíritus et vita sunt.*

Ps 118 (119), 129. 130. 133. 135. 144
℟. (105) *Lucérna pédibus meis verbum tuum, Dómine.*

913. Lectionibus expletis celebrans homiliam habet, in qua tum lectiones biblicas tum etiam Christi præsentiam in Dei verbo illustret.

914. Si opportunum videtur, dici vel cani potest Symbolum.

PRECES

915. Deinde fit prex communis. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

Fratres, Deus Pater Verbum suum caro factum nobis præbet audiéndum, ut de eo nutriámur eíque fidéliter vivámus.
Simul ergo precémur:

℟. *Verbum Christi hábitet in nobis abundánter!*

Fac, Dómine, ut Christi Fílii tui discípuli
verbum tuum fervénter esúriant
eiúsque in mundo testes fidéles evádant. ℟.

Præsta nobis, Dómine,
ut verbum tuum pénitus perscrutántes,
et fide simus fervéntes
et bonis opéribus semper inténti. ℟.

Adáuge in nobis, Dómine,
verbi tui luce perfúsis,
et tui cognitiónem et nostri:
ut te redamémus tibíque fidéliter serviámus. ℟.

Adésto, Dómine, minístris verbi tui
ut quæ ore proclámant
et corde credant et móribus éxprimant. ℟.

ORATIO BENEDICTIONIS

916. Deinde celebrans, extensis manibus, prosequitur:

Deus, qui hómines de ténebris
in admirábile lumen tuum vocáre dignátus es,
tibi nos decet grátias ágere
quia dulci verbi tui pábulo
numquam nos esuríre permíttis,
nobísque in hac aula ecclésiæ congregátis
sermónum tuórum mirabília
contínua recordatióne decláras.
Hic ergo, quǽsumus, Dómine,
vox Fílii tui sonet in áuribus nostris,
ut quæ Spíritus Sanctus suggésserit
fidéliter persequéntes,
verbi tui non auditóres tantum
sed férvidos mereámur esse factóres.
Hic verbi tui præcónes
sémitas vitæ nobis osténdant,
quas alácriter percurréntes,

Christum Dóminum sequámur
et vitam cónsequi possímus ætérnam.
Per Christum Dóminum nostrum.

℞. Amen.

CONCLUSIO RITUS

917. Tum celebrans ritum concludit, manibus super fideles extensis, dicens:

Benedícat vos Deus omni benedictióne cælésti,
sanctósque vos et puros
in conspéctu suo semper effíciat;
divítias glóriæ suæ
in vos abundánter effúndat, verbis veritátis ínstruat,
Evangélio salútis erúdiat,
et caritáte fratérna semper locuplétet.

℞. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℞. Amen.

918. Laudabiliter ritus apto cantu perficitur.

III. ORDO BENEDICTIONIS OCCASIONE DATA AUSPICANDI NOVUM TABERNACULUM EUCHARISTICUM

919. Tabernaculum ad Eucharistiam servandam nobis in mentem redigit et Domini præsentiam, quæ a Missæ sacrificio derivat, et fratres, quos caritate Christi amplecti debemus. Etenim Ecclesia in dispensandis mysteriis sibi a Christo Domino concreditis primitus pro infirmis et morientibus Eucharistiam servavit.

Hic cælestis cibus, in ecclesiarum sacrariis repositus, adoratus est.

920. Huius benedictionis ritus cum Missæ celebratione coniungitur. In hac convenienter eliguntur, servatis servandis, lectiones et orationes ex Missis de SS.ma Eucharistia.[16] In homilia post explicationem verbi Dei, semper aliquo modo huius ritus significatio fidelibus aperiatur.

921. Oratione universali peracta, celebrans prope tabernaculum benedicendum, ad cœtum conversus, fideles ad orationem invitat, dicens:

Orémus.

Et pro opportunitate omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc orationem benedictionis profert, manibus extensis:

Dómine, sancte Pater,
qui homínibus panem de cælo verum dedísti,
nos et hoc tabernáculum,
quod sacraménto Córporis et Sánguinis Fílii tui
asservándo parávimus,
benedícere dignáre,
ita ut Christum hic præséntem adorántes
eius redemptiónis mystério
iúgiter consociémur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

922. Deinde celebrans, imposito ture, tabernaculum incensat.

923. Missa prosequitur more solito, sed post Communionem fidelium, pyxis cum Sacramento super mensam altaris relinquitur

Dicta oratione post Communionem, attentis locis et celebrationis adiunctis, instrui potest, more consueto, processio per ecclesiam ad sacellum vel locum, ubi tabernaculum benedicendum invenitur.

Incedente processione, cantatur apta antiphona (cf. App. n. 15) cum psalmo, v. gr. *Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus*, cum Ps 33 (34), 2-3, 4-5, 6-7, 8-9 vel rythmus peculiaris, v. gr. *Ave, verum Corpus, natum ex María Vírgine* (cf. App. n. 16), vel alius cantus aptus.

[16] *Missale Romanum*, Ordo Lectionum Missæ, nn. 976-981.

924. Cum processio ad tabernaculum pervenit, celebrans in eodem tabernaculo pyxidem deponit, ostiolum apertum relinquens. Imposito ture, Ss.mum Sacramentum genuflexus incensat. Post congruum temporis spatium, in quo omnes silentio orant, tabernaculi porta clauditur.

925. Tum, si commode fieri potest, diaconus, si adest, vel ipse celebrans, pro opportunitate, dicit invitatorium, his vel similibus verbis:

Inclináte vos ad benedictiónem.

Tunc celebrans, manibus super populum extensis, eum benedicit, dicens:

Omnípotens et miséricors Deus,
cuius Fílius templum verum et vivum
in terris éxstitit,
eiúsdem mortis et resurrectiónis mystério,
quod recoléntes adorátis,
vos benedícat atque sanctíficet.
℟. Amen.

Christus, qui visibíliter in cælos ascéndit
ut vobis locum in domo Patris paráret,
et hic invisibíliter adest in Sacraménto
ut sacrifícii sui grátiam exténdat,
vos semper adiuváre et confortáre dignétur.
℟. Amen.

Vobis ómnibus huc accedéntibus
et opus salútis pie meditántibus
Dóminus noster, in Eucharístia præsens,
fiat aquæ vivæ fons indefíciens in vitam ætérnam.
℟. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.
℟. Amen.

926. Vel, orans super populum, celebrans dicit:

Fámulis tuis, Dómine,
fídei et grátiæ præsta semper augméntum,
ut dum amórem Fílii tui inter nos permanéntis
assídue recólimus,
memoriále salútis nostræ
fructuóse frequentémus.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Post orationem subdit:

Et benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.
℟. Amen.

927. Si vero processio instruenda non sit, dicta oratione post Communionem, pyxis deponitur in tabernaculo, cuius ostiolum apertum manet. Ture imposito, celebrans Ss.mum Sacramentum genuflexus incensat.

928. Denique, post congruum temporis spatium, in quo omnes silentio orant, celebrans ostium tabernaculi claudit, et populum benedicit, unam adhibens formulam ex iis quæ nn. 925-926 indicantur.

929. Tum diaconus, si adest, vel ipse celebrans populum dimittit more consueto.

IV. ORDO BENEDICTIONIS OCCASIONE DATA AUSPICANDI NOVAM SEDEM AD SACRAMENTUM PÆNITENTIÆ CELEBRANDUM

930. Sedes ad sacramentum Pænitentiæ celebrandum, in ecclesia posita, melius exprimit confessionem et absolutionem peccatorum actionem esse liturgicam quæ ad corpus Ecclesiæ pertinet, et ad renovatam fratrum participationem sacrificio Christi et Ecclesiæ ordinatur.

931. Huius benedictionis ritus numquam cum Missæ celebratione coniugendum est; opportune vero coniungitur cum celebratione aliqua pænitentiali.

RITUS INITIALES

932. Populo congregato, canitur, pro opportunitate, psalmus vel antiphona vel alius cantus aptus.

933. Cantu expleto, sacerdos dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

934. Deinde sacerdos adstantes salutat, dicens:

Grátia vobis, misericórdia et pax a Deo Patre,
per Iesum Christum, in Spíritu Sancto,
qui est remíssio ómnium peccatórum.

vel alia apta verba e Sacra Scriptura præsertim deprompta, vel ex Ordine Pænitentiæ, nn. 94-96.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

935. Deinde sacerdos brevi monitione adstantes edocet de sensu ritus, quod facere potest his vel similibus verbis:

Ritus benedictiónis quem in fide participámus, id primum suádet, Deo grátias agéndas esse quamplúrimas qui omnipoténtiam suam parcéndo máxime et miserándo maniféstat. In hac enim confessiónis sede, peccatóres consístimus, et ex ea iustificáti discédimus, reconciliatiónis fruéntes ministério quod Christus Iesus Ecclésiæ suæ trádidit exercéndum. Ipse

concédat ut qui peccatórum póndere opprimúntur, ad hanc sedem accedéntes liberéntur, et qui de mundáno púlvere sordéscunt, inde rédeant dealbáti in sánguine Agni.

LECTIO VERBI DEI

936. Tunc incipit celebratio verbi. Lector vel unus ex adstantibus vel ipse sacerdos legit textum aut textus Sacræ Scripturæ, selectum ex iis qui in Lectionario Ordinis Pænitentiæ proponuntur,[17] vel ex iis qui infra proponuntur:

2 Sam 12, 1-9. 13 « *Dixit David ad Nathan: Peccavi Domino* ».
In diébus illis: Misit Dóminus Nathan ad David ...

Ez 18, 20-32 « *Si impius egerit pœnitentiam, vita vivet et non morietur* ».
Factus est sermo Dómini ad me dicens: « Anima quæ peccáverit ...

Rom 5, 6-11 « *Gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus* ».
Adhuc Christus ...

2 Cor 5, 17-21 « *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* ».
Si quis in Christo ...

Mt 9, 1-8 « *Confide fili: remittuntur tibi peccata tua* ».
In illo témpore: Ascéndens Iesus in navículam transfretávit ...

Lc 7, 36-50 « *Remissa sunt peccata eius multa, quoniam dilexit multum* ».
In illo témpore: Rogábat Iesum quidam de pharisǽis ...

Io 8, 1-11 « *Vade, et amplius iam noli peccare* ».
In illo témpore: Iesus perréxit in montem Olivéti ...

937. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus:

Ps 31 (32), 1-2. 3-4. 5. 6-7
℟. (5c) *Confitébor iniquitátem meam Dómino.*

[17] Cf. *Rituale Romanum,* Ordo Pænitentiæ, cap. IV, nn. 101-201.

Ps 50 (51), 3-4. 5-6. 7-8. 9-10. 11-12
℟. (14a) *Redde mihi lætítiam salutáris tui.*

Ps 129 (130), 1-2. 3-4. 5-6b. 6c-8
℟. (7bc) *Apud Dóminum misericórdia*
et copiósa apud eum redémptio.

936. Lectionibus expletis, sacerdos homiliam habet, in qua tum lectiones biblicas tum momentum ecclesiale sacramenti Pænitentiæ illustrat.

PRECES

939. Deinde fit prex communis. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

Grátias agámus, fratres, Deo Patri omnipoténti, qui per mortem et resurrectiónem Fílii sui in virtúte Spíritus Sancti, erípuit nos de potestáte tenebrárum et remissiónem nobis dedit ómnium peccatórum:

℟. *Grátias ágimus tibi, Dómine.*

Benedíctus es, Dómine,
qui Fílium tuum pro peccátis nostris dedísti,
ut nos, de peccatórum ténebris eréptos,
in lucem et pacem transférret regni tui. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui per Spíritum Sanctum
consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis emúndas. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui Ecclésiæ sanctæ
claves regni cælórum tradidísti,
quibus iánuæ misericórdiæ tuæ ómnibus patérent. ℟.

Benedíctus es, Dómine,
qui magna et mirabília

in reconciliatiónis ministério semper operáris,
ut quibus indulgéntiam largíris
aliquándo vitam dones ætérnam. ℟.

940. Deinde celebrans prosequitur, extensis manibus:

Dignum et iustum est,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere,
omnípotens sempitérne Deus,
qui iuste córrigis et cleménter ignóscis,
in utróque misericors,
quia nos ea lege dispónis,
ut coercéndo períre non sinas in ætérnum
et parcéndo spátium tríbuas corrigéndi.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Conclusio ritus

941. Tum sacerdos ritum concludit, manibus super fideles extensis, dicens:

Benedícat nobis Pater,
qui nos in adoptiónem filiórum vocávit.
℟. Amen.

Auxiliétur nobis Fílius,
qui nos in frátres suscépit.
℟. Amen.

Adsit nobis Spíritus,
qui suum nos templum éfficit.
℟. Amen.

Et benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

942. Laudabiliter ritus apto cantu perficitur.

CAPUT XXVII

ORDO BENEDICTIONIS NOVÆ PORTÆ ECCLESIÆ

PRÆNOTANDA

943. In nonnullis celebrationibus liturgicis, sicut in Baptismo, in Matrimonio et in Exsequiis, fideles ad portas ecclesiæ recipiuntur. Per eas, statutis diebus anni liturgici, in ipsam ecclesiam processione peracta ingrediuntur.

Qua de re opportunum evadit ut ianua ecclesiæ, sive in sua structura sive in suo artis ornatu signum exstet Christi, qui dixit: « Ego sum ostium ovium » (Io 10, 7) et simul eorum qui viam cucurrerunt sanctitatis, quæ ad Dei habitationem ducit.

944. In novis autem erigendis ecclesiæ ianuis, occasio inveniri potest fidelibus memorandi tum rerum eventum exteriorem tum vero, interiorem sensum totius ædificii, cui ianuæ aditum reserant.

Congruum igitur videtur ad portas benedicendas peculiarem orationem ad Deum dirigere atque fideles congregare, ut verbum Dei audiant et preces effundant.

945. Hic Ordo adhiberi potest a sacerdote, qui, ritus structura et elementis potioribus servatis, semper quædam elementa sumere potest ut celebratio adiunctis loci et personarum melius accommodetur.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

946. Communitate congregata, ante ianuam ecclesiæ opportune fit cantus aptus, v. gr. antiphona (cf. App. n. 17):

Tóllite portas, príncipes, vestras,
et elevámini, portæ æternáles.

cum Psalmo 23 (24).

Expleto cantu, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

947. Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Grátia et pax sit ómnibus vobis
in Ecclésia sancta Dei.

vel alia apta verba e Sacra Scriptura præsertim deprompta.
Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

948. Deinde celebrans fideles breviter alloquitur ut eorum animos ad celebrationem disponat et ritum illustret. Quod facere potest his vel similibus verbis:

Huc convénimus, fratres, ad iánuam huius ecclésiæ benedictióne ditándam. Sacro rítui pia adsímus devotióne, atque Dóminum supplíciter exorémus, ut omnes qui ad verbum Dei audiéndum ac divína mystéria celebránda per hanc iánuam in ecclésiam ingrediéntur, Christi vocem corde recto sequántur, óstium vitæ ætérnæ se proferéntis.

949. Expleta admonitione, celebrans dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tum celebrans prosequitur, manibus extensis:

Deus, qui pópulum tuum Ecclésiam vocáre dignátus es,
da ut plebs in tuo nómine congregáta
te tímeat, te díligat, te sequátur,
et ad cæléstia promíssa, te ducénte, pervéniat.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

LECTIO VERBI DEI

950. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit textum Sacrarum Scripturarum.

Ap 21, 2-3. 23-26 « *Civitatem sanctam vidi descendentem de cælo a Deo* ».

Audíte, fratres, verba libri Apocalýpsis.

Civitátem sanctam Ierúsalem novam vidi descendéntem de cælo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo. Et audívi vocem magnam de throno dicéntem: « Ecce tabernáculum Dei cum homínibus! Et habitábit cum eis, et ipsi pópuli eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus ». Et cívitas non eget sole neque luna, ut lúceant ei, nam cláritas Dei illuminávit eam, et lucérna eius est Agnus. Et ambulábunt gentes per lumen eius, et reges terræ ásferunt glóriam suam in illam; et portæ eius non claudéntur per diem, nox enim non erit illic; et ásferent glóriam et divítias géntium in illam.

951. Vel:

Is 26, 1-9 « *Aperite portas, et ingrediatur gens iusta* ».
In die illa cantábitur cánticum istud ...

Ier 7, 1-7 « *Sta in porta domus Domini et prædica ibi* ».
Verbum, quod factum est ad Ieremíam a Dómino ...

Io 10, 1-10 « *Ego sum ostium ovium* ».
In illo témpore dixit Iesus: « Amen, amen dico vobis ...

952. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 99 (100), 2. 3. 4. 5
℟. (2b) *Servíte Dómino in lætítia.*

Ps 117 (118), 1 et 4. 15-16. 19-20. 22-23
℟. (26) *Benedíctus, qui venit in nómine Dómini.*

953. Celebrans, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

954. Ubi opportunum videtur, ante orationem benedictionis, prex communis haberi potest. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

Nos, lápides vivi, superædificáti lápidi elécto Christo, Ipsum deprecémur pro Ecclésia sua dilécta et certitúdinem in eam profiteámur dicéndo:

℟. *Hic domus Dei est et porta cæli!*

Dómine Iesu, qui Pastor ætérnus et óstium es óvium,
— exténde, cóngrega et prótege ovíle tuum. ℟.

Dómine Iesu, qui domum tuam super petram ædificásti,
— Ecclésiam tuam sólida fide et fidúcia confírma. ℟.

Dómine Iesu, de cuius látere fluxérunt sanguis et aqua,
— Ecclésiam tuam sacraméntis
novi et ætérni testaménti rénova. ℟.

Dómine Iesu, præsens in médio eórum
qui congregántur in nómine tuo,
— Ecclésiæ tuæ unánimem oratiónem exáudi. ℟.

Dómine Iesu, qui cum Patre et Spíritu Sancto
mansiónem facis apud eos qui te díligunt,
— Ecclésiam tuam pérfice in dilectióne. ℟.

Dómine Iesu, qui foras numquam éicis veniéntem ad te,
— súscipe omnes peccatóres in domum Patris tui. ℟.

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

955. Quando preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, celebrans, his vel similibus verbis, fideles ad orationem invitat, dicens:

Fratres caríssimi,
huc lætántes convénimus
ad novam ecclésiæ portam benedictióne auspicándam.
Deum ígitur súpplices exorémus
ut sua grátia nobis adésse dignétur.

Et pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant.

ORATIO BENEDICTIONIS

956. Tum celebrans, manibus extensis, benedictionis orationem profert:

Te, Dómine, sancte Pater, benedícimus,
qui Fílium tuum in hunc mundum misísti,
ut hómines, peccáti disgregatióne dispérsos,
effúso sánguine congregáret
et eórum qui in unum colligúntur ovíle,
ipse esset Pastor et óstium,
per quod si quis introíerit, salvábitur,
et ingrediétur et egrediétur,
et páscua invéniet.
Te ergo, Dómine, deprecámur,
ut fidéles tui, hanc portam ingrediéntes,
per Iesum Christum Fílium tuum
accéssum hábeant in uno Spíritu ad te, Pater,
et ad ecclésiam tuam concurréntes
in confidéntia per fidem eius,
perseverántes in doctrína Apostolórum,
in communicatióne fractiónis panis,
in oratiónibus assídui,

in cæléstis ædificatióne Ierúsalem semper succréscant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℞. Amen.

957. Post orationem benedictionis, celebrans, pro opportunitate, aqua benedicta aspergit portam et, imposito ture, eam incensat.

CONCLUSIO RITUS

958. Deinde celebrans populum benedicit, manibus super fideles extensis, dicens:

Deus, Dóminus cæli et terræ,
qui vos hódie ad huius portæ benedictiónem
vóluit adunáre,
vobis étiam concédat ut portas Dómini
introeátis in confessióne
et átria eius in hymnis,
quátenus ætérnæ beatitúdinis hereditátem possideátis.

℞. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.

℞. Amen.

959. Laudabiliter ritus cantu apto perficitur.

CAPUT XXVIII

ORDO BENEDICTIONIS NOVÆ CRUCIS PUBLICÆ VENERATIONI EXHIBENDÆ

PRÆNOTANDA

960. Inter sanctas imagines, « figura pretiosæ et vivificæ Crucis »[18] principem obtinet locum, quippe quæ symbolum sit totius paschalis mysterii. Nulla christianorum plebi carior est imago, nulla antiquior. Christi passio eiusque de morte triumphus per sanctam Crucem repræsentatur simulque, ut sancti Patres docuerunt, secundus idemque gloriosus nuntiatur eius adventus.

961. Crucis imago non solum Feria VI in Passione Domini fidelibus colenda proponitur et in festo Exaltationis, die 14 septembris, tamquam Christi tropæum et arbor vitæ celebratur, sed eminet in ecclesia et ponitur coram populo quotiescumque ad sacros ritus celebrandos congregatur, et in domesticis etiam baptizatorum ædibus loco insigni collocatur. Attentis temporum et locorum condicionibus, iure christifideles Crucem publice erigunt, quæ sit suæ fidei testimonium et illius caritatis signum, qua Deus cunctos prosequitur homines.

962. Præstat autem, maximeque si de Cruce agatur quæ loco insigni ecclesiæ collocetur, ligno crucis imaginem quoque corporis Iesu Crucifixi affixam esse.

963. Ordo, qui hic præbetur adhiberi potest a presbytero, qui ritus structura et potioribus elementis servatis, personarum et locorum adiunctis celebrationem aptabit. Si ritui laudabiliter præest Episcopus, omnia opportune aptentur.

[18] Conc. Nicænum II, Act. VII: Mansi XIII, 378; Denzinger-Schönmetzer, 601.

964. Benedictio novæ Crucis quolibet die et hora peragi potest, præterquam Feria IV Cinerum, Triduo paschali et Commemoratione omnium fidelium defunctorum; dies vero potissimum eligatur quo fideles frequentiores convenire possint. Fideles opportune præparentur ut actuose ritui intersint.

965. Ritus qui hoc capite describitur duos tantum casus spectat:

a) cum sollemniter benedicenda est Crux erecta loco publico, ab ecclesia seiuncto;

b) cum benedicenda est Crux principalis quæ emineat in aula ecclesiæ, ubi communitas fidelium congregatur.

ORDO BENEDICTIONIS

Ritus initiales

966. Ubi fieri potest, præstat communitatem christifidelium processionaliter se conferre ab ecclesia aliove apto loco ad locum ubi Crux benedicenda erecta est. Si processio fieri nequit vel haud opportuna videtur, fideles congregantur ad locum ubi Crux benedicenda est erecta.

967. Populo congregato, celebrans fideles salutat, dicens:

Grátia Dómini nostri Iesu Christi,
qui pro nobis pepéndit in ligno,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

968. Deinde celebrans fideles breviter alloquitur, ut eorum animos ad celebrationem disponat et ritus sensum illustret, quod facere potest his vel similibus verbis:

Novam Crucem sollémniter benedictúri, fratres dilectíssimi, in fide venerémur ætérnum Dei consílium, quo Crucis mystérium divínæ factum est misericórdiæ sacraméntum.
Crucem conspiciéntes mémores simus in ea amóris consummátum esse sacraméntum, quo Christus suam diléxit Ecclésiam.
Crucem salutántes, recordémur Christum, omni divisióne in suo sánguine subláta, Pópulum Dei fecísse ex divérsis géntibus unum.
Crucem venerántes, recogitémus nos Christi discípulos et esse et profitéri, crucémque cuíque própriam cotídie feréntes, eum generóse sectémur.
Huic ergo celebratióni, inténtis ánimis adésse nitámur, quo fulgídius nobis Crucis páteat mystérium eiúsque vim efficácius experíri valeámus.

969. Expleta admonitione, celebrans dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc celebrans prosequitur:

Deus, cuius Fílius, ex hoc mundo ad te transitúrus,
in ligno pendens crucis
humánam tibi famíliam conciliávit,
réspice hos fámulos tuos,
qui hoc signum salútis erexérunt
et præsta ut eius virtúte muníti,
crucem suam cotídie tolléntes
atque Evangélii itínera percurréntes,
cælórum metam felíciter consequántur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

970. Diaconus, si casus fert, admonet:

Procedámus in pace.

971. Et ordinatur processio ad locum ubi Crux erecta est. Incedente processione, canitur antiphona (cf. App. n. 18):

Nos autem gloriári opórtet
in cruce Dómini nostri Iesu Christi.

cum Psalmo 97 (98), vel hymnus aliusve aptus cantus.

Psalmus 97 (98)

1 Cantáte Dómino cánticum novum, *
quia mirabília fecit.

(Repetitur antiphona)

Salvávit sibi déxtera eius, *
et bráchium sanctum eius.
2 Notum fecit Dóminus salutáre suum, *
in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.
3 Recordátus est misericórdiæ suæ *
et veritátis suæ dómui Israel.
Vidérunt omnes términi terræ *
salutáre Dei nostri.

(Repetitur antiphona)

4 Iubiláte Deo, omnis terra, *
erúmpite, exsultáte et psállite.
5 Psállite Dómino in cíthara, *
in cíthara et voce psalmi;
6 in tubis ductílibus et voce tubæ córneæ, *
iubiláte in conspéctu regis Dómini.

(Repetitur antiphona)

7 Sonet mare et plenitúdo eius, *
orbis terrárum et qui hábitant in eo.

8 Flúmina plaudent manu, †
simul montes exsultábunt 9 a conspéctu Dómini, *
quóniam venit iudicáre terram.
Iudicábit orbem terrárum in iustítia *
et pópulos in æquitáte.

(Repetitur antiphona)

Glória Patri, et Fílio, *
et Spirítui Sancto.
Sicut erat in princípio, et nunc et semper, *
et in sǽcula sæculórum. Amen.

(Repetitur antiphona)

972. Si vero processio non est facienda statim post collectam, omisso cantu, fit lectio verbi Dei.

Lectio verbi Dei

973. Deinde lector, unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit unum vel plures Sacræ Scripturæ textus, ex iis potissimum selectos qui vel infra vel in Lectionario de mysterio sanctæ Crucis proponuntur,[19] interiectis congruentibus psalmis responsoriis vel intervallis silentio peragendis.

Lectio autem Evangelii principem locum semper obtineat. Adhiberi etiam possunt lectiones de passione Domini, quæ in Lectionario proponuntur.[20]

Phil 2, 5-11 « *Humiliavit semetipsum factus obœdiens usque ad mortem, mortem autem crucis* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Philippénses.

Hoc sentíte in vobis, quod et in Christo Iesu: qui, cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquá-

[19] Cf. *Missale Romanum,* Ordo Lectionum Missæ, nn. 969-974.
[20] Cf. *ibidem,* n. 975.

lem Deo, sed semetípsum exinanívit formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus; et hábitu invéntus ut homo, humiliávit semetípsum factus obœdiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus illum exaltávit et donávit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nómine Iesu omne genu flectátur cæléstium et terréstrium et infernórum et omnis lingua confiteátur: « Dóminus Iesus Christus! », in glóriam Dei Patris.

974. Vel:

Num 21, 4-9 « *Qui percussus aspexerit serpentem ignitum vivet* ».
In diébus illis: Profécti sunt Hebræi de monte Hor per viam quæ ducit ad mare Rubrum ...

1 Cor 2, 1-5 « *Annuntians verbis mysterium Dei* ».
Ego cum veníssem ...

Hebr 4, 12-16 « *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ* ».
Vivus est Dei sermo ...

Io 3, 13-17 « *Exaltari oportet Filium hominis* ».
Nemo ascéndit in cælum ...

Io 19, 25-27 « *Stabat iuxta crucem Iesu mater eius* ».
In illo témpore: Stabant iuxta crucem Iesu ...

975. Pro opportunitate, dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 21 (22), 8-9. 17-18a. 23-24b
℞. (2a) *Deus, Deus meus, quare me dereliquísti?*

Ps 30 (31), 2 et 6. 12-13. 15-16
℞. (Lc 23, 46) *Pater, in manus tuas comméndo spíritum meum.*

Ps 54 (55), 5-6. 13. 14-15. 17-18. 23
℞. (23ab) *Iacta super Dóminum curam tuam, et ipse te enútriet.*

976. Celebrans, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis et virtutem Crucis Domini fide percipiant.

ORATIO BENEDICTIONIS

977. Expleta homilia, celebrans, stans ante Crucem, manibus extensis, orationem benedictionis profert:

Benedícimus te, Dómine, sancte Pater,
qui abundántia diléctionis tuæ
e ligno, unde homo intéritum háuserat et ruínam,
remédium providísti salútis et vitæ.
Etenim, cum suæ Paschæ hora venísset,
Dóminus Iesus, sacérdos, magíster, atque rex
árborem crucis voluntárie conscéndit
eámque glóriæ suæ thronum,
sacrifícii aram, cáthedram veritátis effécit.
Ibi, exaltátus a terra, de hoste triumphávit antíquo
ac suo sánguine purpurátus,
ómnia sibi miserátus attráxit:
ibi, exténsis mánibus,
tibi, Pater, vitæ suæ sacrifícium óbtulit,
et sacraméntis novæ legis vim índidit salutárem:
ibi moriéndo dócuit quod verbo nuntiáverat:
granum fruménti demórtuum
ubérrimas édere ségetes.
Te ergo, Dómine, adprecámur
ut fidéles tui hoc signum venerántes salútis,
illos redemptiónis cápiant fructus,
quos Christus Iesus sua passióne proméruit:
eius Cruci peccáta affígant,
ipsiúsque Crucis virtúte supérbiam átterant,
infirmitátem róborent;
ex ea in pressúris háuriant solácium,
ad eam in perículis secúri confúgiant,
atque, eius virtúte muníti,
itínera mundi percúrrant incólumes,

donec tu, Pater, eos in cælórum domum recípias.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

978. Vel:

Dómine, Pater sancte,
qui voluísti Crucem Fílii tui
fontem ómnium fíeri benedictiónum
omniúmque causam gratiárum,
nobis benígnus adésto,
qui istam Crucem eréximus in signum fídei nostræ:
et concéde ut, Christi passiónis mystério
iúgiter inhæréntes in terris,
ætérna resurrectiónis gáudia consequámur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

979. Tunc celebrans in turibulum incensum immittit et incensat Crucem. Postea canitur antiphona (cf. App. n. 19):

Crucem tuam adorámus, Dómine,
et sanctam resurrectiónem tuam
laudámus et glorificámus:
ecce enim propter lignum
venit gáudium in univérso mundo.

vel (cf. App. n. 20):

Per signum Crucis
de inimícis nostris
líbera nos, Deus noster.

vel alius aptus cantus in honorem sanctæ Crucis.

980. Cantu expleto, si commode peragi potest, celebrans, ministri, fideles novam Crucem venerantur: singuli ad eam ordinatim accedunt

eique venerationis exhibent signum, secundum loci consuetudinem. Quod si fieri nequit, celebrans paucis verbis ad sanctæ Crucis venerationem populum invitat, qui eam veneratur, vel servando aliquod spatium silentii vel aptam acclamationem proferendo, v. gr.:

Hoc signum crucis erit in cælo
cum Dóminus ad iudicándum vénerit.

CONCLUSIO RITUS

981. Veneratione Crucis expleta, fit oratio universalis, vel modo in Missæ celebratione consueto vel modo qui hic proponitur:

Redemptórem nostrum, qui per Crucem suam nos redémit, cum fidúcia deprecémur, dicéntes:

℟. *Per crucem tuam salva nos, Dómine.*

Christe, qui temetípsum exinanísti,
formam servi accípiens
in similitúdinem hóminum factus,
— præsta ut ómnia Ecclésiæ membra
tuam humilitátem imiténtur. ℟.

Christe, qui humiliásti temetípsum
factus obœ́diens usque ad mortem,
mortem autem crucis,
— da servis tuis obœdiéntiæ et patiéntiæ virtútem. ℟.

Christe, qui exaltátus a Deo
accepísti nomen quod est super omne nomen,
— concéde ut fidéles tui in tuo semper servítio persevérent. ℟.

Christe, in cuius nómine omne genu flectátur opórtet,
cæléstium, terréstrium et infernórum,
— omnes áttrahe ad cor tuum ut te veneréntur,
teque fidéliter adórent. ℟.

Christe, quem omnis lingua confitébitur
Dóminum in glóriam Dei Patris,

— récipe fratres nostros defúnctos
in regnum beatitúdinis perpétuæ. ℟.

982. Deinde celebrans opportune introducit orationem dominicam his vel similibus verbis:

Verba et exémpla Christi patiéntis secúti,
oratiónem dicámus qua nos Dei Patris voluntáti
in fide commíttimus.

Omnes:

Pater noster, qui es in cælis;
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

Celebrans immediate prosequitur:

Deus, qui Unigénitum tuum Crucis torméntum
subíre voluísti, ut salvum fáceret genus humánum,
præsta, quǽsumus, ut, cuius mystérium
in terra cognóvimus,
eius redemptiónis prǽmia in cælo cónsequi mereámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

983. Tunc celebrans benedicit populum more consueto; diaconus vero populum dimittit.

CAPUT XXIX

ORDO AD BENEDICENDAS IMAGINES QUÆ FIDELIUM VENERATIONI PUBLICÆ EXHIBENTUR

PRÆNOTANDA

984. Ad imaginem et similitudinem suam Deus hominem fecit.[21] Hanc divinam imaginem, quam homo, in seipso, peccando misere fœdavit, Christus, qui est plena et perfecta « imago Dei invisibilis »[22] moriendo misericorditer reparavit. In Christo autem discipuli eius nova fiunt creatura[23] et, Spiritus Sancti operante virtute, in eiusdem imaginem transformantur.[24]

985. Quo altius fideles inspiciant mysterium gloriæ Dei, quæ resplenduit in facie Iesu Christi[25] atque in Sanctis eius relucet, et ipsi « lux in Domino » fiant[26] mater Ecclesia ad sacras imagines venerandas eos pie invitat. Quæ, cum interdum summo artificio sint perfectæ ac religiosa polleant nobilitate, illius pulchritudinis iubar reddere videntur, quæ a Deo procedit et ad Deum ducit. Imagines enim non solum Iesum Christum et Sanctos quos effingunt in fidelium memoriam revocant, sed et in eorum conspectum quodammodo eos adducunt: « Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto, qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam et desiderium ».[27]

Quare sacrarum imaginum veneratio in præcipuis et insignibus formis illius cultus qui Christo Domino et, alio quidem modo, Sanctis debetur adnumeratur[28] « non quod credatur inesse aliqua in iis divi-

[21] Cf. Gen 1, 26-27.
[22] Col 1, 15.
[23] Cf 2 Cor 5, 17.
[24] Cf. 2 Cor 3, 18.
[25] Cf. 2 Cor 4, 6; Mt 17, 2.
[26] Eph 5, 8.
[27] Conc. Nicænum II, Act. VII; Mansi XIII, 378; Denzinger-Schönmetzer, 601.
[28] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 111.

nitas vel virtus, propter quod sint colendæ », sed « quoniam honor qui eis exhibetur refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant ».[29]

986. Cum publicæ fidelium venerationi, præsertim in ecclesiis, ad mentem Constitutionis liturgicæ Sacrosanctum Concilium, n. 125, principalis nova imago sancta exhibetur, præstat eam benedicere ritu particulari qui hic proponitur. Ritus autem non fit intra Missam. Si vero agitur de sancta imagine in fidelium domibus tantum veneranda, benedicatur ritu qui infra cap. XXXVII describitur.

987. In hoc capite tres ordines continentur:

a) ordo benedicendi imaginem Domini nostri Iesu Christi;

b) ordo benedicendi imaginem beatæ Mariæ Virginis;

c) ordo benedicendi imaginem unius vel plurium Sanctorum.

988. Ordines, qui hic præbentur, adhiberi possunt a presbytero, qui, ritus structura et elementis potioribus servatis, semper quædam elementa sumere potest, ut celebratio adiunctis loci et personarum melius accommodetur. Si ritui laudabiliter præest Episcopus, omnia opportune aptentur.

989. Benedictio imaginis sacræ celebrationi Vesperarum coniungitur, die qua Vesperæ respondentes vel celebrandæ sunt vel celebrari possunt.

Vesperæ more consueto celebrantur. Absoluta tamen psalmodia, convenienter fit lectio longior, selecta ex iis quæ in Lectionario proponuntur pro festis Domini, beatæ Mariæ Virginis et Sanctorum.

Deinde celebrans homiliam habet in qua cum lectionem biblicam tum imaginum sacrarum momentum in Ecclesia illustrat.

Post lectionem biblicam vel homiliam, pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium verbum Dei silentio meditantur. Tum canitur responsorium ex Liturgia Horarum vel cantus eiusdem indolis.

Cantu expleto, celebrans dicit orationem benedictionis quam sequitur canticum evangelicum cum propria antiphona. Imago incensatur dum canitur canticum, post altaris crucisque incensationem.

Prosequitur ac concluditur celebratio Vesperarum more solito.

[29] Conc. Tridentinum, Sess. XXV: Denzinger-Schönmetzer, 1823.

I. ORDO BENEDICTIONIS IMAGINIS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI

RITUS INITIALES

990. Populo congregato, opportune fit cantus aptus, quo expleto, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

991. Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Grátia vobis et pax a Deo Patre,
et a Dómino nostro Iesu Christo,
qui est imágo Dei invisíbilis.

vel alia apta verba e Sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

992. Deinde celebrans fideles breviter alloquitur ut eorum animos ad celebrationem disponat et ritus sensum illustret, quod facere potest his vel similibus verbis:

Vere habémus quod lætémur, fratres dilectíssimi, quia Deum sumus benedictúri occasióne data huius novæ imáginis Dómini nostri Iesu Christi ..., quam públice venerándam fidélibus propónimus. Hæc sacra imágo id in primis récolat, Christum invisíbilis Dei visíbilem esse imáginem: ætérnus Dei Fílius qui descéndit in Vírginis sinum, Dei Patris signum est et sacraméntum. Ipse enim dixit: « Qui videt me, videt et Patrem ». Hanc ergo imáginem veneréntes, ad Christum óculos levémus, qui cum Patre et Spíritu regnat in ætérnum.

LECTIO VERBI DEI

993. Deinde lector, unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit unum vel plures Sacræ Scripturæ textus, selectos præsertim ex iis qui in Missalis Romani vel Liturgiæ Horarum Lectionario proponuntur pro celebratione peculiaris mysterii dominici quod imagine repræsentatur, interiectis congruentibus responsoriis vel intervallis silentio peragendis. Lectio autem Evangelii principem locum semper obtineat. Legi possunt etiam textus qui infra proponuntur.

Col 1, 12-20 « *Christus Dominus est imago Dei invisibilis* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Colossénses.

Grátias ágimus Deo Patri, qui idóneos vos fecit in partem sortis sanctórum in lúmine; qui erípuit nos de potestáte tenebrárum et tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ, in quo habémus redemptiónem, remissiónem peccatórum; qui est imágo Dei invisíbilis, primogénitus omnis creatúræ, quia in ipso cóndita sunt univérsa in cælis et in terra, visibília et invisibília, sive throni, sive dominatiónes, sive principátus, sive potestátes. Omnia per ipsum et in ipsum creáta sunt, et ipse est ante ómnia, et ómnia in ipso constant. Et ipse est caput córporis ecclésiæ; qui est princípium, primogénitus ex mórtuis, ut sit in ómnibus ipse primátum tenens, quia in ipso complácuit omnem plenitúdinem habitáre et per eum reconciliáre ómnia in ipsum, pacíficans per sánguinem crucis eius, sive quæ in terris sive quæ in cælis sunt.

994. Vel:

Io 14, 1-11 « *Qui vidit me, vidit Patrem* ».

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: « Non turbétur cor vestrum ...

995. Pro opportunitate, dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 8, 4-5. 6-7a
℟. (2a) *Dómine, Dóminus noster,*
quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

Ap 15, 3. 4
℟. (Ap 14, 7) *Timéte Dóminum et date illi glóriam!*

996. Celebrans, pro opportunitate, homiliam habet, in qua cum lectiones biblicas tum mysterium Domini in imagine repræsentatum illustrat, ut sensus celebrationis fide percipiatur.

Preces

997. Ubi opportunum videtur, ante orationem benedictionis, communis prex haberi potest. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria communitatis vel rerum adiunctis respiciant.

Deum Patrem deprecémur, qui Verbum suum, per quod ómnia creáta sunt et in quo ómnia constant, nobis dedit salvatórem et redemptórem, eíque dicámus:
℟. *Concéde nobis Fílio tuo confórmes fíeri.*

Pater, cuius Fílius infiníta est Sapiéntia
ac summa Véritas,
— præsta ut eum in dies áltius cognoscéntes,
ei árctius étiam adhærére cupiámus. ℟.

Pater, qui Fílium tuum mittens in terram
eam exsultatiónis rore perfudísti,
— lætífica cor nostrum contínua Christi præséntia. ℟.

Pater, qui Christum unxísti
sacerdótem, regem ac prophétam,
— præsta ut ipse nos invéniat
acceptábiles hóstias, servos fidéles, sédulos discípulos. ℟.

Pater, qui voluísti Christum
nobis magístrum esse mitem et húmilem corde,
— concéde ut benignitátem et mansuetúdinem
ab eo dóciles discámus. ℟.

Pater, qui per sánguinem crucis Christi
ómnia tibi reconciliásti,
— fac ut nos operatóres simus concórdiæ et pacis. ℟.

Pater, qui ineffábili providéntiæ consílio
voluísti Salvatórem nostrum in ligno suspéndi
ut mortem et inférnum destrúeret,
— da nobis eius morti sociári,
ut ipsíus resurrectiónis efficiámur consórtes. ℟.

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

998. Quando preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, celebrans, his vel similibus verbis, omnes ad orandum invitat, ut divinum exposcant auxilium:

Orémus, fratres caríssimi,
Deum Patrem omnipoténtem,
ut, Christi recoléntes mystérium,
nostræ salútis fructus cónsequi mereámur.

Et pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant.

ORATIO BENEDICTIONIS

999. Tum celebrans, manibus extensis, benedictionis orationem profert:

Benedícimus te, Pater, humáni géneris amátor bone,
qui Verbum tuum in mundum misísti
ut, ex intácta Vírgine carnem assúmens,

noster fíeret salvátor ac primogénitus frater,
per ómnia nobis símilis absque peccáto.
In Christo nobis suprémum dedísti
sanctitátis exémplar:
eum púerum venerátur Ecclésia,
quæ, in cunis débilem cernens infántem,
Deum adórat cunctipoténtem;
fáciem eius contémplans
vultum réspicit tuæ bonitátis
atque ex ore eius verba háuriens vitæ,
tua replétur sapiéntia;
eius cordis ima caritátis explórans,
Spíritus igne ipsa combúritur,
quo ille in regeneratiónem effúndit,
eum respíciens divíno cruóre purpurátum,
pretiósum colit sánguinem,
quo et ipsa dealbátur;
sed et Christi gaudens resurrectióne,
Sponsi glóriam prægustándo partícipat.
Te ígitur, Dómine, súpplices deprecámur
ut fidéles tui hanc Christi venerántes effígiem,
hoc idem séntiant quod et in Christo Iesu,
et qui imáginem portárunt terréni hóminis,
cæléstis étiam réferant aliquándo.
Fílius tuus sit eis, Pater,
via qua ad te gradiántur,
véritas eórum corda collústrans,
vita qua alántur et vivant;
sit eis lux quæ itíneris díssipet umbras,
petra ubi fatigáti requiéscant,
porta qua in novam admittántur Ierúsalem.
Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

1000. Vel:

Deus, qui lucem hábitas inaccessíbilem,
et tanta nos dilexísti caritáte,
ut te, invisíbilem, in Christo
nobis visíbilem præbéres:
hos fámulos intuére benígnus,
qui hanc Fílii tui effígiem figurárunt,
et præsta ut ipsi in eum transforméntur,
cuius imáginem venerántur.
Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

1001. Post orationem benedictionis, celebrans, imposito ture, incensat imaginem; dum canitur antiphona, hymnus aut psalmus de Christi mysterio in imagine repræsentato, vel alius cantus aptus.

CONCLUSIO RITUS

1002. Celebrans populum benedicit, manibus super eum extensis, dicens:

Pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum,
custódiat corda vestra
et intellegéntias vestras
in sciéntia et caritáte Dei,
et Fílii sui, Dómini nostri Iesu Christi.

Omnes:

Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes:

Amen.

1003. Laudabiliter ritus cantu apto perficitur.

II. ORDO BENEDICTIONIS IMAGINIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Ritus initiales

1004. Populo congregato, opportune fit cantus aptus, quo expleto, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

1005. Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Grátia Dómini nostri Iesu Christi,
ex alma Vírgine nati,
et cáritas Dei
et communicátio Sancti Spíritus
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

1006. Deinde celebrans fideles breviter alloquitur ut eorum animos ad celebrationem disponat et ritus sensum illustret, quod facere potest his vel similibus verbis:

Huc, fratres dilectíssimi, lætántes convénimus ad imáginem beátæ Maríæ Vírginis benedicéndam. Hoc simulácrum sub título N., significábit qualis et quanta sit necessitúdo beátæ Vírginis Maríæ cum Christo eiúsque Ecclésia. Sancta María

enim mater est Christi visíbilis, imáginis Dei invisíbilis, sed et ipsa est imágo, typus, exémplar Ecclésiæ: imágo, in qua Ecclésia id quod ipsa tota esse cupit cum gáudio contemplátur; typus, in quo viam et disciplínam agnóscit ad perféctam cum Christo uniónem consequéndam; exémplar quo Sponsa Christi innítitur in apostólico múnere adimpléndo. Huic sacræ actióni inténtis ánimis iúgiter pióque fervóre adésse conémur.

LECTIO VERBI DEI

1007. Deinde lector, unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit unum vel plures Sacræ Scripturæ textus, selectos præsertim ex iis qui in Missalis Romani vel Liturgiæ Horarum Lectionario proponuntur sive in Communi sive in Proprio beatæ Mariæ Virginis, interiectis congruentibus responsoriis vel intervallis silentio peragendis. Legi possunt etiam textus qui infra proponuntur.

Lc 1, 42-50 « *Beatam me dicent omnes generationes* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Lucam.

Elísabeth exclamávit voce magna et dixit: « Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. Et beáta, quæ crédidit, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt ei a Dómino ». Et ait María: « Magníficat ánima mea Dóminum, et exsultávit spíritus meus in Deo salvatóre meo, quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ. Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius, et misericórdia eius in progénies et progénies timéntibus eum ».

1008. Vel:

Ap 11, 19a; 12, 1-6a. 10ab « *Signum magnum apparuit in cælo* ».
Apértum est templum Dei ... *usque ad* in templo eius ... *12, 6 usque ad* parátum a Deo. *10 usque ad* Christi eius.

Lc 1, 26-38 « *Ecce concipies in utero et paries filium* ».
In illo témpore: Missus est ángelus Gábriel ...

Io 19, 25-27 « *Ecce filius tuus. Ecce mater tua* ».
In illo témpore: Stabant iuxta crucem Iesu ...

1009. Pro opportunitate, dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 112 (113), 1-2. 3-4. 5-6. 7-8
℟. *Sit nomen Dómini benedíctum in sǽcula.*

Lc 1, 46-47. 48-49. 50-51. 52-53. 54-55
℟. (49) « *Fecit mihi magna qui potens est,*
et sanctum nomen eius ».

1010. Celebrans, pro opportunitate, homiliam habet in qua cum lectiones biblicas tum munus beatæ Mariæ Virginis in historia salutis illustrat, ut sensus celebrationis fide percipiatur.

PRECES

1011. Ubi opportunum videtur, ante orationem benedictionis, communis prex haberi potest. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria communitatis vel rerum adiuncta respiciant.

Salvatórem nostrum celebrántes, qui ex María Vírgine nasci dignátus est, exorémus dicéntes:

℟. *Intercédat pro nobis Mater tua, Dómine.*

Salvátor mundi,
qui redemptiónis tuæ virtúte

ab omni peccáti labe Matrem tuam præservásti,
— serva nos mundos a peccáto. ℟.

Redémptor noster,
qui Vírginem Maríam domum habitatiónis tuæ
et Spíritus Sancti fecísti sacrárium,
— nos templum ædífica in quo Spíritus tuus
semper inhábitet. ℟.

Sacérdos noster,
qui iuxta crucem Matrem tuam astáre voluísti,
— præsta ut, ipsa intercedénte,
communicántes tuis passiónibus gaudeámus. ℟.

Rex regum,
qui Matrem tuam córpore et ánima
tecum voluísti in cælum assúmptam,
— fac ut quæ sursum sunt semper quærámus
atque sapiámus. ℟.

Dómine cæli et terræ,
qui Maríam regínam a dextris tuis astáre fecísti,
— tríbue nobis ut eiúsdem glóriæ mereámur
esse consórtes. ℟.

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

1012. Quando Preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, celebrans, his vel similibus verbis, omnes ad orandum invitat, ut divinum exposcant auxilium:

In unum congregáti,
sicut Mater Iesu et Apóstoli,
preces Deo nostro súpplices effundámus.

Et pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant.

ORATIO BENEDICTIONIS

1013. Tum celebrans, manibus extensis, benedictionis orationem profert:

Te confitémur, Dómine, ineffábilis Deus,
qui ante mundi primórdia
Christum constituísti universórum princípium et finem
eíque miro pietátis consílio
beátam Vírginem iunxísti,
quæ Fílii tui Génetrix esset et sócia,
Ecclésiæ imágo et exémplar,
ómnium nostrum mater atque advocáta:
ipsa est enim múlier nova,
quæ antíquæ Evæ reparávit ruínam;
præcélsa Fília Sion,
quæ, súpplicem vocem Patriarchárum gemítibus iungens,
exspectatiónem véteris Israel corde suscépit;
ancílla pauper et húmilis,
ex qua Sol iustítiæ procéssit,
Fílius tuus, Dóminus noster Iesus Christus.
Pater sancte, súpplices te rogámus ut fidéles tui,
qui hanc beátæ Vírginis effígiem apparárunt,
eius protectióne perpétuo muniántur
et in corde figant imáginem quam óculis intuéntur.
Sit eis fides indefíciens et firma spes,
própera sit cáritas et humílitas sincéra;
sit in dolóre fortitúdo, in paupertáte dígnitas,
in advérsis tolerántia, in prósperis commúnio;
sint ipsi pacis factóres et operatóres iustítiæ,
donec, itinéribus mundi in tui et fratrum amóre peráctis,
ad manéntem pervéniant Civitátem,
ubi beáta Virgo Mater intercédit et fulget Regína.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

1014. Vel:

Deus, qui Ecclésiæ tuæ peregrinánti
in beáta Vírgine futúræ glóriæ imáginem dedísti,
præsta ut fidéles tui,
qui hanc sanctæ Maríæ effígiem apparárunt,
óculos suos ad eam fidénter attóllant,
quæ toti electórum plebi virtútum præfúlget exémplar.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

1015. Post orationem benedictionis celebrans pro opportunitate, imposito ture, incensat imaginem, dum canitur psalmus aut hymnus de beatæ Mariæ Virginis titulo in imagine repræsentato, vel v. gr. una ex sequentibus antiphonis (cf. App. n. 21):

Benedícta es tu, Virgo María,
a Dómino Deo excélso
præ ómnibus muliéribus super terram.

vel (cf. App. n. 1):

Sub tuum præsídium confúgimus,
  sancta Dei Génetrix;
nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus;
sed a perículis cunctis líbera nos semper,
  Virgo glorióa et benedícta.

Conclusio ritus

1016. Celebrans populum benedicit, manibus extensis super eum, dicens:

Deus, qui per beátæ Maríæ Vírginis partum
genus humánum sua vóluit benignitáte redímere,
sua vos dignétur benedictióne ditáre.
℟. Amen.

Eiúsque semper et ubíque patrocínia sentiátis,
per quam auctórem vitæ suscípere meruístis.
℟. Amen.

Et qui hodiérna die devótis méntibus convenístis,
spiritálium gaudiórum cælestiúmque præmiórum
vobíscum múnera reportétis.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

1017. Laudabiliter ritus apto cantu perficitur.

III. ORDO BENEDICTIONIS IMAGINIS SANCTORUM

RITUS INITIALES

1018. Populo congregato, opportune fit cantus aptus, quo expleto, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

1019. Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Grátia Dómini nostri Iesu Christi,
qui est coróna Sanctórum ómnium,
et cáritas Dei,
et communicátio Sancti Spíritus
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacra Scriptura præsertim deprompta.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

1020. Deinde celebrans fideles breviter alloquitur ut eorum animos ad celebrationem disponat et ritus sensum illustret, quod facere potest his vel similibus verbis:

Ritum celebratúri, fratres, quo Deus benedicétur, occasióne data hanc novam et præcláram imáginem sancti N., fidélium veneratióni públicæ exhibéndi, ánimos in primis apte disponámus opórtet, ut celebratiónis sensum perspéctum habeámus. Sanctórum imágines públicæ fidélium veneratióni éxhibens, id Mater Ecclésia máxime spectat ut nos, effígies eórum qui Christum fidéliter sunt secúti conspiciéntes, futúram Civitátem inquirámus, simúlque edoceámur qua via ad perféctam cum Christo uniónem tutíssime perveníre possímus. Sancti enim Iesu Christi amíci sunt et coherédes, fratres quoque nostri ac benefactóres exímii, qui nos díligunt, nobis adsunt, sollícite pro nobis intercédunt, mirábili modo nobíscum commúnicant.

LECTIO VERBI DEI

1021. Deinde lector, unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit unum vel plures Sacræ Scripturæ textus, selectos præsertim ex iis qui in Missalis Romani vel Liturgiæ Horarum Lectionario proponuntur sive in Communi sive in Proprio Sanctorum, interiectis congruentibus psalmis responsoriis vel intervallis silentio peragendis. Lectio Evangelii principem locum semper obtineat. Legi possunt etiam textus qui infra proponuntur.

Mt 5, 1-12a « *Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Videns Iesus turbas, ascéndit in montem; et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli eius; et apériens os suum docébat eos dicens:
« Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est regnum cælórum.

Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.
Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.
Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam, quóniam ipsi saturabúntur.
Beáti misericórdes, quia ipsi misericórdiam consequéntur.
Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.
Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur.
Beáti qui persecutiónem patiúntur propter iustítiam, quóniam ipsórum est regnum cælórum.
Beáti estis cum maledíxerint vobis et persecúti vos fúerint et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me; gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis ».

1022. Vel:

Eph 3, 14-19 « *Scire supereminentem scientiæ caritatem Christi* ».
Flecto génua mea ad Patrem ...

1 Petr 4, 7b-11 « *Unusquisque, sicut accepit donationem, in alterutrum illam administrantes* ».
Caríssimi: Estóte prudéntes ...

1 Io 5, 1-5 « *Hæc est victoria, quæ vincit mundum: fides nostra* ».
Caríssimi: Omnis qui credit ...

1023. Pro opportunitate, dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 1, 1-2. 3. 4 et 6
℟. (2a) *In lege Dómini volúntas eius.*

Ps 14 (15), 2-3. 4-5
℟. (Cf. 1b) *Iustus requiéscet in monte sancto tuo, Dómine.*

Ps 33 (34), 2-3. 4-5. 6-7. 8-9. 10-11
℟. (2a) *Benedícam Dóminum in omni témpore.*

1024. Deinde celebrans, pro opportunitate, homiliam habet, in qua cum lectiones biblicas tum munus Sanctorum in vita Ecclesiæ apte illustrat, ut sensus celebrationis fide percipiatur.

PRECES

1025. Ubi opportunum videtur, ante orationem benedictionis, communis prex haberi potest. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria communitatis vel rerum adiuncta respiciant.

Deum Patrem, qui Sanctos reddit confórmes imágini Fílii sui et Spíritus virtúte Ecclésiam iúgiter sanctíficat, súpplices exorémus, dicéntes:

℟. *Per intercessiónem Sancti N., salva nos, Dómine.*

Deus, fons sanctitátis,
qui multifórmis grátiæ tuæ mirabília
in Sanctis fulgére fecísti,
— concéde nobis in illis magnitúdinem tuam celebráre. ℟.

Deus sapientíssime,
qui Apóstolos per Christum
Ecclésiæ fundaméntum constituísti,
— serva fidéles tuos in eórum doctrína. ℟.

Qui Martýribus fortitúdinem testimónii
usque ad effusiónem sánguinis dedísti,
— redde christiános testes fidéles Fílii tui. ℟.

Qui sanctis Virgínibus
donum insígne dedísti Christum vírginem imitándi,
— concéde ut virginitátem tibi consecrátam
peculiáre signum cæléstium bonórum agnóscant. ℟.

Qui in Sanctis ómnibus præséntiam tuam osténdis
et vultum et verbum tuum maniféstas,

— tríbue fidélibus tuis ut, dum illos venerántur,
tibi se séntiant préssius adhærére. ℟.

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

1026. Quando preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, celebrans, his vel similibus verbis, omnes ad orandum invitat, ut divinum exposcant auxilium:

Uníus Spíritus virtúte
ex multis géntibus congregáti,
et cuncti ad unam sanctitátem vocáti,
unum Deum et Patrem supplíciter exorémus.

Et pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant.

Oratio benedictionis

1027. Tum celebrans, manibus extensis, benedictionis orationem profert:

Te magnificámus, Dómine,
quia solus es sanctus et, nostri misértus,
in mundum misísti Fílium tuum, Iesum Christum,
omnis sanctitátis auctórem et consummatórem;
qui, super nascéntem Ecclésiam,
Sanctum Paráclitum emísit Spíritum:
vocem, quæ sanctitátis docet arcána,
auram, quæ fórtia súggerit atque suávia,
ignem, qui corda fidélium exúrit caritáte,
semen divínum, quod ubérrimos grátiæ gérminat fructus.
Te ígitur, Dómine, hódie glorificámus,
quia eiúsdem Spíritus donis beátum N. ditásti,
in cuius veneratiónem fámuli tui
hanc imáginem effingéndam curárunt.

Concéde, quǽsumus, ut ipsi vestígia Dómini sectántes
et sancti N. intuéntes exémpla,
in virum occúrrant perféctum,
in mensúram ætátis plenitúdinis Christi.
Verbo et exémplo Evangélium núntient,
pro quo ne sánguinem quidem dúbitent offérre;
crucem domínicam cotídie baiulántes,
pro tui fratrúmque servítio impendántur;
terrénæ civitátis expléntes offícia,
eam ímbuant Spíritu Christi
et ad mansiónem supérnam óculos attóllant,
ubi tu, Pater, eos cum Fílio tuo regnatúros excípies.
Qui tecum vivit et regnat in sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

1028. Vel:

Deus, fons omnis grátiæ et sanctitátis,
intuére benígnus nos fámulos tuos,
qui hanc sancti N. effígiem apparávimus,
et præsta ut eius intercessiónem experiámur,
qui, Christi amícus et cohéres effectus,
evangélicæ vitæ testis effúlget
et apud te exímius intercéssor.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

1029. Post orationem benedictionis celebrans pro opportunitate, imposito ture, incensat imaginem, dum canitur psalmus, aut hymnus qui congruat Sancto cuius imago benedicitur, vel una ex sequentibus antiphonis (cf. App. n. 22):

Laudem dícite Deo nostro,
omnes Sancti eius
et qui timétis Deum, pusílli et magni;
quóniam regnávit Dóminus Deus noster omnípotens.

Gaudeámus, et exsultémus,
et demus glóriam ei.

Vel antiphona (cf. App. n. 23):

Sapiéntiam Sanctórum narrent pópuli,
et laudes eórum núntiet Ecclésia.

Conclusio ritus

1030. Celebrans populum benedicit, manibus extensis super eum, dicens:

Deus, glória et exsultátio Sanctórum,
benedícat vos benedictióne perpétua,
qui vobis tríbuit tantis patrocíniis adiuvári.

℟. Amen.

Eórum intercessióne a præséntibus malis liberáti,
et exémplis sanctæ conversatiónis instrúcti,
in servítio Dei fratrúmque inveniámini semper inténti.

℟. Amen.

Quátenus cum iis ómnibus
valeátis illíus pátriæ vos gáudia possidére,
in qua fílios suos supérnis coniúngi cívibus
in pace perpétua sancta lætátur Ecclésia.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

1031. Laudabiliter ritus cantu apto perficitur.

CAPUT XXX

ORDO BENEDICTIONIS CAMPANÆ

PRÆNOTANDA

1032. Antiquus est mos christianam plebem aliquo signo vel sonitu ad cœtum liturgicum convocandi eamque monendi de præcipuis communitatis localis eventibus. Itaque campanarum vox sensus populi Dei quodammodo exprimit, cum ipse exsultat aut plorat, gratias agit aut supplicat, in unum convenit et suæ in Christo unitatis mysterium manifestat.

1033. Propter intimam rationem quam campanæ habent cum vita populi christiani, mos invaluit, qui opportune servatur, eas benedicendi antequam turre campanaria collocentur.

1034. Oportet campanam benedicendam loco designato ita suspendi vel collocari ut, si casus fert, commode circumiri et pulsari possit.

1035. Pro locorum et rerum adiunctis, campana benedicitur die festivo vel extra ecclesiam vel etiam intra ecclesiam, ritu qui infra nn. 1037-1050 proponitur. Si vero opportunum videtur eam infra Missam benedici, benedictio fit post homiliam, iis servatis quæ n. 1051 dicuntur.

1036. Hic Ordo adhiberi potest a presbytero, qui, ritus structura et elementis potioribus servatis, semper quædam elementa sumere potest ut celebratio adiunctis loci et personarum melius accommodetur. Si ritui laudabiliter præest Episcopus, omnia opportune aptentur.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

1037. Communitate congregata, opportune fit cantus aptus, quo expleto celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

1038. Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Grátia Dómini nostri Iesu Christi,
cáritas Dei, qui nos cónvocat in unam Ecclésiam,
et communicátio Sancti Spíritus
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

1039. Deinde celebrans fideles breviter alloquitur ut eorum animos ad celebrationem disponat et ritus sensum illustret, quod facere potest his vel similibus verbis:

Lætus nobis hodiérnus dies illúcet cum hæc ecclésiæ domus novis instrúitur campánis, et occásio præbétur Deum hac celebratióne benedicéndi. Campánæ enim vitæ pópuli Dei quodámmodo conectúntur: eórum sonus témpora oratiónis metítur, plebem cóngregat ad litúrgicas actiónes peragéndas, fidéles monet de gravióribus evéntibus qui hanc Ecclésiæ portiónem (hanc civitátem) aut síngulos fidéles vel lætítia vel dolóre affíciunt. Pia adsímus ergo devotióne his rítibus

ut in nostra vita campánas audiéntes, recordémus unam nos esse famíliam atque eárum sono obsequéntes, in unum conveniámus, nostram in Christo unitátem manifestántes.

LECTIO VERBI DEI

1040. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit textum Sacrarum Scripturarum ex iis qui infra proponuntur.

Mc 16, 14-16. 20 « *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Marcum.

Novíssime, recumbéntibus úndecim, illis Iesus appáruit, et exprobrávit incredulitátem illórum et durítiam cordis, quia his, qui víderant eum resuscitátum, non credíderant. Et dixit eis: « Eúntes in mundum univérsum prædicáte evangélium omni creatúræ. Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit; qui vero non credíderit, condemnábitur ». Illi autem profécti prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte et sermónem confirmánte, sequéntibus signis.

1041. Vel:

Num 10, 1-8. 10 « *Fac tibi duas tubas argenteas* ».
In diébus illis: Locútus est Dóminus ad Móysen ...

1 Chr 15, 11-12. 25-28; 16, 1-2 « *Deducebant arcam fœderis Domini in iubilo et bucina et tubis* ».
In diébus illis: Vocávit David Sadoc et Abíathar sacerdótes ...

Is 40, 1-5. 9-11 « *Exalta in fortitudine vocem tuam, quæ evangelizas Ierusalem* ».
« Consolámini, consolámini pópulum meum ...

Act 2, 36-39. 41-42 « *Vobis est repromissio et omnibus quoscumque advocaverit Dominus* ».
In die Pentecóstes dicébat Petrus Iudǽis: « Certíssime sciat omnis domus Israel ...

Mt 3, 1-11 « *Venit Ioannes, prædicans: Appropinquavit regnum cælorum* ».
In diébus illis venit Ioánnes Baptísta, prǽdicans ...

Mc 1, 1-8 « *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini* ».
Inítium Evangélii Iesu Christi Fílii Dei ...

1042. Pro opportunitate, dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus:

Ps 28 (29), 1-2. 3 et 5. 7-9. 10-11
℟. (4) *Vox Dómini in virtúte,*
vox Dómini in magnificéntia.

Ps 150, 1-2. 3-4. 5
℟. (2b) *Laudáte Dóminum*
secúndum multitúdinem magnitúdinis eius.

1043. Celebrans, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum tum celebrationis tum usus campanæ percipiant.

PRECES

1044. Sequitur, pro opportunitate, prex communis. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria adstantium vel rerum adiuncta respiciant.

Ad Deum Patrem, qui Ecclésiam suam ex cunctis géntibus vult adunáre, súpplices dirigámus preces, una voce dicéntes:

℟. *Ecclésiam tuam cóngrega ex univérsis géntibus.*

Dómine Deus, qui in unum nos vocáre non désinis,
ut, uno Spíritu animáti,
unam viam percurrámus salútis. ℟.

Dómine Deus, qui nos, plebem tuam,
signum perféctius vis fíeri
præséntiæ tuæ apud hómines. ℟.

Dómine Deus, qui fratrum dolóres et gáudia
nos doces participáre,
quo plénior fiat nostra diléctio. ℟.

Dómine Deus, qui supérna lætítia
hódie nostrum locuplétas cœtum,
quo tui mystérii núntium ferat ad fratres. ℟.

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

1045. Quando preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, celebrans, his vel similibus verbis, omnes ad orandum invitat, ut divinum exposcant auxilium:

Laudes et petitiónes nostras ad Patrem,
qui nos in unam congregávit domum,
oratióne confirmémus.

Et pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant.

ORATIO BENEDICTIONIS

1046. Tum celebrans, manibus extensis, orationem benedictionis profert:

Te, Dómine, sancte Pater, benedícimus,
qui Fílium tuum in hunc mundum misísti,
ut hómines, peccáti vúlnere dispérsos,
effúso sánguine congregáret,
et, in unum colléctos ovíle,
ipse, unus pastor, régeret atque nutríret.
Te ergo, Dómine, deprecámur,

ut, campánæ sónitu advocánte,
fidéles tui ad ecclésiam festína exsultatióne concúrrant
et in Apostolórum doctrína, in fratérna concórdia,
in fractióne panis et in oratióne perseve ántes,
cor unum fiant et ánima una,
ad laudem glóriæ tuæ.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

1047. Vel:

Deus, cuius vox prima mundi luce
in áuribus resonávit hóminis,
eum ad divínum invítans consórtium,
ineffabília docens, salutária monens:
Deus, qui Móysen, servum tuum,
ad pópulum congregándum
argénteas tubas adhibére iussísti;
Deus, qui non rénuis in Ecclésia tua
ex ære cónfici campánas,
quæ pópulum tuum ad orándum invítent:
hac benedictióne ✠ ut tibi dicátam áccipe
hanc novam campánam,
et fac, ut omnes fidéles tui,
qui eius vocem percéperint,
corda ad te dírigant
et, fratrum gáudia et luctus participántes,
ad domum ecclésiæ festínent,
ubi Christum præséntem séntiant,
verbum tuum áudiant
votáque sua tibi pandant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

1048. Post orationem benedictionis celebrans, pro opportunitate, aqua benedicta aspergit et, imposito ture, incensat campanam, dum canitur antiphona (cf. App. n. 24):

Cantáte Dómino,
et benedícite nómini eius, allelúia.

cum Psalmo 149, vel alius aptus cantus.

Psalmus 149, 1-5

1 Cantáte Dómino cánticum novum; *
laus eius in ecclésia sanctórum.
2 Lætétur Israel in eo, qui fecit eum, *
et fílii Sion exsúltent in rege suo.

(Repetitur antiphona)

3 Laudent nomen eius in choro, *
in týmpano et cíthara psallant ei,
4 quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo, *
et honorábit mansuétos in salúte.

(Repetitur antiphona)

5 Iúbilent sancti in glória, *
lætёntur in cubílibus suis.

(Repetitur antiphona)

Glória Patri, et Fílio, *
et Spíritui Sancto.
Sicut erat in princípio, et nunc et semper, *
et in sǽcula sæculórum. Amen.

(Repetitur antiphona)

Conclusio ritus

1049. Celebrans populum benedicit, manibus super fideles extensis, dicens:

Deus, qui ex multis géntibus
unam cóngregat Ecclésiam,
sua vos cleméntia benedícat,
qui ad novam benedicéndam campánam
huc festinánter convenístis.
℟. Amen.

Misericors ipse concédat, ut illi quos
campánæ clara resonántis voce
in domum ecclésiæ convocáverit,
verbo, quod áudiunt, inténtas prǽbeant aures.
℟. Amen.

Quátenus omni inter fratres divisióne subláta,
et sincéra caritáte ínvicem diligéntes,
divína mystéria unánimes célebrent.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

1050. Si opportunum videtur, celebrans et fideles campanam benedictam pulsant in signum lætitiæ. Laudabiliter apto cantu ritus perficitur.

1051. Si benedictio campanæ fit intra Missam (cf. supra n. 1035), hæc serventur:

— dicitur Missa diei;
— lectiones, præterquam in sollemnitatibus, festis, diebus dominicis, sumi possunt vel ex Missa diei vel ex iis quæ nn. 1040-1042 proponuntur;
— benedictio campanæ fit post homiliam, iuxta ritum qui nn. 1044-1047 describitur.

CAPUT XXXI

ORDO BENEDICTIONIS ORGANI

PRÆNOTANDA

1052. In divinis mysteriis peragendis musica sacra magni est momenti; organum autem in Ecclesia latina in honore habetur, quippe quod sive cum cantus comitetur sive cum solum pulsetur, sacris addat splendorem, divinas laudes prosequatur, fidelium preces foveat, eorumque mentes ad Deum extollat.

Propter intimam rationem quam organum habet cum musica et cantu in actionibus liturgicis piisque populi christiani exercitiis, opportunum est illud benedici antequam usui liturgico destinetur.

1053. Hic Ordo adhiberi potest a presbytero, qui, ritus structura et elementis potioribus servatis, semper quædam elementa sumere potest, ut celebratio adiunctis loci et personarum melius accommodetur. Si ritui laudabiliter præest Episcopus, omnia opportune aptentur.

1054. Benedictio organi quolibet die peragi potest, præterquam temporibus quibus ius organi usum moderatur.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

1055. Communitate congregata, opportune fit cantus aptus, quo expleto, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

1056. Deinde celebrans adstantes salutat dicens:

Dei Patris diléctio,
pax Dómini nostri Iesu Christi,
et solácium Sancti Spíritus
sit semper vobíscum.

vel:

Dóminus, quem Sancti sine fine colláudant,
sit semper vobíscum.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

1057. Tum celebrans adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Huc convénimus, fratres dilectíssimi, ad novum órganum benedicéndum, quo divínæ liturgíæ celebrátio púlchrior evádat atque sollémnior. Cum enim ars música in sacris actiónibus adhíbita id spectet in primis, ut glorificétur Deus et hómines sanctificéntur, sonus órgani signum fit præclárum illíus cantus novi, quem Deo cantáre iubémur: cánticum équidem novum tum vere cánimus cum bene vívimus, cum Dei voluntáti álacres lætíque adhærémus, cum, ínvicem diligéntes, mandátum novum adimplémus.

LECTIO VERBI DEI

1058. Deinde lector, unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit textum Sacrarum Scripturarum ex iis qui infra proponuntur.

Col 3, 12-17 « *In gratia cantantes in cordibus vestris Deo* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Colossénses.

Indúite vos sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, mansuetúdinem, patién-

tiam, supportántes ínvicem et donántes vobis ipsis si quis advérsus áliquem habet querélam; sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos. Super ómnia autem hæc caritátem, quod est vínculum perfectiónis. Et pax Christi dominétur in córdibus vestris, ad quam et vocáti estis in uno córpore. Et grati estóte.

Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia docéntes et commonéntes vosmetípsos psalmis, hymnis, cánticis spiritálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo; et omne, quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Iesu grátias agéntes Deo Patri per ipsum.

1059. Vel:

Num 10, 1-10 « *Canetis tubis super holocaustis et pacificis victimis* ».
Locútus est ...

1 Chr 15, 3. 16. 19-21. 25 *Clangebant tubis coram arcam.*
Congregávit David univérsum Israel ...

2 Chr 5, 2-5a. 11-14 *Sacerdotes canentes tubis.*
Congregávit Sálomon maióres natu Israel ... *usque ad* tabernáculi.

Eph 5, 15-20 « *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino* ».
Vidéte, caute quómodo ambulétis ...

Lc 1, 39-47 « *Exsultavit spiritus meus in Deo Salvatore meo* ».
Exsúrgens María in diébus illis ábiit in montána ...

Lc 10, 21-22 « *Iesus exsultavit Spiritu Sancto* ».
In illa hora ...

1060. Pro opportunitate, dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus:

Ps 46 (47), 2-3. 7-8
℟. (cf. 6) *Psállite Deo in iúbilo et in voce tubæ.*

Ps 97 (98), 1. 2-3. 4-6
℟. (cf. 5 et 6) *Psállite et iubiláte Dómino.*

1061. Celebrans, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum tum celebrationis, tum usus organi percipiant.

PRECES

1062. Sequitur, pro opportunitate, prex communis. Ex invocationibus, quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas, quæ aptiores videantur vel alias adicere, quæ peculiaria adstantium vel rerum adiuncta respiciant.

Exsultántes, fratres dilectíssimi, Deum omnipoténtem magnificémus, pro innúmeris quibus nos cúmulat suæ bonitátis donis, eíque, sicut Apóstolus ádmonet, grátias reddámus eius laudes corde et ore canéntes:

℞. *Glória tibi, Dómine.*

Pater sancte, rex cæli et terræ,
fons totíus perfectiónis
omnísque sacri concéntus
inspirátor assíduus,
te laudámus
propter magnam glóriam tuam. ℞.

Dómine Iesu Christe, splendor glóriæ Patris,
qui homo factus ad hómines venísti,
ut peccátum mundi tólleres
fratrésque redémptos tua ditáres grátia,
te glorificámus
propter magnam misericórdiam tuam. ℞.

Spíritus Sancte Deus,
qui in hóminum córdibus inhábitas
eósque in unum corpus ædíficas,
te celebrámus
propter tuam in Ecclésia arcánam præséntiam. ℞.

Sancta Trínitas, unus Deus,
rerum ómnium princípium et finis,
cui cánticum novum cæli et terra decántant,
te adorámus
propter investigábilem beatitúdinem tuam. ℟.

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

1063. Quando preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, celebrans, his vel similibus verbis, omnes ad orandum invitat, ut divinum exposcant auxilium:

Nunc vero, uníus qui sumus sanctæ Ecclésiæ membra,
una voce et uno corde,
Deum et Patrem nostrum invocémus.

et pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium silentio orant.

Oratio benedictionis

1064. Tum celebrans, manibus extensis, benedictionis orationem profert:

Dómine Deus, qui semper antíqua es pulchritúdo,
sempérque nova,
cuius sapiéntia régitur mundus
et bonitáte decorátur orbis,
te Angelórum órdines colláudant
tuis semper nútibus obsequéntes,
te sídera cóncinunt univérsa
legis tuæ præcépta constánti motu servántes,
te omnes redémpti sanctum una voce proclámant
et corde, ore, vita,
iucúnda exsultatióne concélebrant.
Sed et nos, plebs tua sancta,

in hac æde lætánti ánimo congregáti,
universáli concéntui nostras cúpimus iúngere voces:
quo autem dígnius ad tuam maiestátem
hymnus noster ascéndat,
hoc tibi benedicéndum órganum exhibémus,
ut eius sonu adiuvánte, laudes et preces
concínna tibi modulatióne canámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

1065. Deinde celebrans organum, imposito ture, incensat; dum illud opportune prima vice in usum deducitur.

Conclusio ritus

1066. Celebrans populum benedicit, manibus super fideles extensis, dicens:

Dóminus, qui omni est laude dignus,
vobis concédat, ut, cui ore, corde, vita
nunc in terra cantáre satágitis,
in cælis aliquándo cánticum novum
perpétuo decantáre possítis.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

1067. Laudabiliter ritus cantu apto perficitur.

CAPUT XXXII

ORDO BENEDICTIONIS RERUM QUÆ IN LITURGICIS CELEBRATIONIBUS USURPANTUR

PRÆNOTANDA

1068. Inter res ad sacrum cultum pertinentes, quædam, utpote quæ peculiari sint observatione dignæ, antequam in usum assumantur laudabiliter benedicuntur.

1069. Calix et patena benedicuntur ritu in Pontificali Romano descripto.[30]

1070. Vasculum vero seu pyxis, ostensorium, vestes, quibus sacri ministri induuntur, necnon linteamina, uti sunt corporalia et tobaleæ, quæ in liturgicis celebrationibus de more usurpantur, opportune benedicuntur.

1071. Res pro liturgicis celebrationibus benedicendæ respondere debent normis a legitima auctoritate statutis: pulchræ quidem sint et exquisita elegantia confectæ, semper tamen mera sumptuositate vitata.

1072. Convenit plures res unico ritu benedicere vel intra Missam vel etiam in aliqua celebratione, quam fideles opportune participent. Si vero una tantum res benedicenda sit, Ritus brevior extra Missam adhiberi potest.

1073. Ritus brevior extra Missam adhiberi potest etiam a diacono.

[30] Cf. *Pontificale Romanum,* Ordo Dedicationis ecclesiæ et altaris, Caput VII, Ordo benedictionis calicis et patenæ.

I. ORDO BENEDICTIONIS INTRA MISSAM ADHIBENDUS

1074. Ad indolem didacticam celebrationum promovendam et ad ritus captui fidelium accommodandos, pro opportunitate, prævideri potest usus rerum benedictarum in eadem Missæ celebratione. Ideo vestes in Missæ celebratione a sacerdote induendæ necnon tobaleæ ad altare cooperiendum, ante ritus initiales coram populo benedici possunt.

1075. Alio vero modo post lectionem verbi Dei fit homilia, in qua sacerdos tum lectiones biblicas tum sensum benedictionis illustret.

1076. Oratione universali expleta, ministri vel legati communitatis offerentis, res benedicendas ante celebrantem deferunt.

1077. Tum celebrans adstantes ad benedictionem disponit his vel similibus verbis:

Fratres caríssimi, res quæ huc sunt allátæ, peculiári nunc benedictióne donántur ut significétur ad cultum divínum eas únice destinári. Sed Dóminum deprecémur ut nos quoque benedictióne sua confírmet, quátenus ipse, qui Sanctus est, et nos sanctos effíciat ac dignos, qui divína mystéria pia devotióne celebrémus.

ORATIO BENEDICTIONIS

1078. Deinde celebrans dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc celebrans, extensis manibus, prosequitur:

Benedíctus Deus,
qui per Fílium tuum, Novi Testaménti mediatórem,
laudem nostram cleménter áccipis

et dona tua lárgiter dispénsas:
concéde, quǽsumus, ut hæc ómnia
divíni cultus celebratióni dicáta,
dum pietátis nostræ signum exsístunt,
devotiónis prǽbeant increméntum.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

1079. Vel, pro vestibus liturgicis:

Benedíctus Deus, qui Fílium tuum Unigénitum
Novi Testaménti
summum et ætérnum constituísti sacerdótem,
et hómines elegísti
ut tuórum essent dispensatóres mysteriórum:
concéde, quǽsumus, ut has vestes,
ad sacra celebránda dispósitas
ac tua benedictióne ditátas,
minístri tui reverénter indúere
et sancta conversatióne sátagant honestáre.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

II. RITUS BREVIOR

1080. Fidelibus congregatis, celebrans incipit dicens:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

Omnes respondent:

℟. Qui fecit cælum et terram.

vel:

℣. Dóminus vobíscum.

Omnes respondent:

℟. Et cum spíritu tuo.

1081. Tum celebrans ad benedictionis celebrationem adstantes pro opportunitate disponit.

1082. Unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit aliquem textum Sacræ Scripturæ:

Rom 12, 1: Obsecro vos, fratres, per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam nivéntem, sanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium vestrum.

Gal 3, 26-27: Omnes fílii Dei estis per fidem in Christo Iesu. Quicúmque enim in Christo baptizáti estis, Christum induístis.

Act 2, 42: Discípuli erant perseverántes in doctrína Apostolórum et communicatióne, in fractióne panis et oratiónibus.

Io 4, 23: Venit hora et nunc est, quando veri adoratóres adorábunt Patrem in Spíritu et veritáte; nam et Pater tales quærit, qui adórent eum.

1083. Deinde celebrans dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc celebrans, extensis manibus, prosequitur:

Benedíctus Deus,
qui per Fílium tuum, Novi Testaménti mediatórem,
laudem nostram cleménter áccipis
et dona tua lárgiter dispénsas:

concéde, quǽsumus, ut hæc ómnia
(vel v. gr. hæc pyxis / hoc ostensórium /
hæc linteámina / hæc tobálea)
divíni cultus celebratióni dicáta (dicátum),
dum pietátis nostræ signum exsístunt (exsístit),
devotiónis prǽbeant (prǽbeat) increméntum.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

1084. Vel, pro vestibus liturgicis:

Benedíctus Deus, qui Fílium tuum Unigénitum
Novi Testaménti
summum et ætérnum constituísti sacerdótem,
et hómines elegísti
ut tuórum essent dispensatóres mysteriórum:
concéde, quǽsumus, ut has vestes,
ad sacra celebránda dispósitas
ac tua benedictióne ditátas,
minístri tui reverénter indúere
et sancta conversatióne sátagant honestáre.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

CAPUT XXXIII

ORDO AD FACIENDAM AQUAM BENEDICTAM EXTRA MISSÆ CELEBRATIONEM

PRÆNOTANDA

1085. Antiqua ex consuetudine inter signa, quibus Ecclesia utitur ad fideles benedicendos, aqua frequenter adhibetur. Aqua autem rite benedicta in fidelium mentes Christum revocat, qui benedictionis divinæ summa nobis exsistit, quique se aquam vivam vocavit, et Baptismum, aquæ sacramentum, in signum salutiferæ benedictionis pro nobis instituit.

1086. Benedictio et aspersio aquæ ordinarie peragitur die Dominica, iuxta ritum in Missali Romano descriptum.[31]

1087. Cum vero aquæ benedictio fit extra Missæ celebrationem, ritus hic propositus adhibeatur, a sacerdote vel a diacono qui, ritus structura et potioribus elementis servatis, rerum adiunctis celebrationem aptabunt.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

1088. Celebrans incipit dicens:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

[31] Cf. *Missale Romanum,* Appendix, Ordo ad faciendam ad aspergendam aquam benedictam.

1089. Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Deus, qui ex aqua et Spíritu Sancto
nos regenerávit in Christo,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

1090. Tum celebrans, pro opportunitate, adstantes ad benedictionis celebrationem disponit his vel similibus verbis:

Hac aquæ benedictióne, Christum aquam vivam ac Baptísmatis recólimus sacraméntum, in quo ex aqua et Spíritu Sancto renáti sumus. Quóties ergo hac aqua aspergémur, vel ea tum intrántes in ecclésiam tum domi manéntes cum signo crucis utémur, grátias Deo agémus pro inenarrábili dono eius, eiúsque implorábimus auxílium, ut sacraméntum vivéndo teneámus, quod fide percépimus.

Lectio verbi Dei

1091. Deinde fit ab uno ex adstantibus vel ab ipso celebrante brevis lectio Sacræ Scripturæ.

Io 7, 37-39 « *Si quis sitit, veniat ad me* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Ioánnem.

In novíssimo die magno festivitátis stabat Iesus et clamávit dicens: « Si quis sitit, véniat ad me et bibat, qui credit in me. Sicut dixit Scriptúra, flúmina de ventre eius fluent aquæ vivæ ». Hoc autem dixit de Spíritu, quem acceptúri erant qui credíderant in eum.

1092. Vel:

Is 12, 1-6 « *Haurietis aquas cum gaudio de fontibus salutis* ».
Et dices in die illa ...

Is 55, 1-11 « *Omnes sitientes, venite ad aquas* ».
Hæc dicit Dóminus Deus: « Omnes sitiéntes ...

Sir 15, 1-6 « *Timentem Deum aqua sapientiæ potabit illum* ».
Qui timet Deum ...

1 Io 5, 1-6 « *Venit per aquam et sanguinem* ».
Caríssimi, omnis qui credit ...

Ap 7, 13-17 « *Agnus deducet eos ad vitæ fontes aquarum* ».
Respóndit unus de senióribus dicens mihi Ioánni, in visióne: « Hi qui amícti sunt ...

Ap 22, 1-5 « *Fluvius aquæ vitæ procedens de throno Dei et Agni* ».
Osténdit mihi Ioánni, in visióne ángelus flúvium ...

Io 13, 3-15 « *Vos mundi estis* ».
Sciens Iesus quia ómnia ...

ORATIO BENEDICTIONIS

1093. Deinde celebrans dicit:

Orémus.

Post brevem silentii pausam, celebrans, manibus extensis, dicit orationem benedictionis:

Benedíctus es, Dómine, Deus omnípotens,
qui nos in Christo, aqua viva salútis nostræ,
benedícere dignátus es et intus reformáre:
concéde ut qui huius aquæ aspersióne
vel usu munímur,
renováta ánimæ iuventúte
per virtútem Sancti Spíritus
in novitáte vitæ iúgiter ambulémus.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

1094. Vel:

Dómine, sancte Pater,
réspice super nos,
qui per Fílium tuum redémpti,
ex aqua et Spíritu Sancto
per Baptísmum sumus renáti:
præsta, quǽsumus,
ut qui hac aqua fúerint aspérsi,
córpore et mente renovéntur
et puram tibi exhíbeant servitútem.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

1095. Vel celebrans dicit:

Omnium creátor Deus, qui ex aqua et Spíritu
formam dedísti atque imáginem hómini et univérso.
℟. Ecclésiam tuam bénedic atque emúnda.

Christe, qui de rescísso in cruce látere
sacraménta salútis scatére fecísti.
℟. Ecclésiam tuam bénedic atque emúnda.

Sancte Spíritus, qui e baptismáli Ecclésiæ grémio,
in regeneratiónis lavácro,
novas nos constituísti creatúras.
℟. Ecclésiam tuam bénedic atque emúnda.

1096. Post orationem benedictionis, celebrans adstantes aqua benedicta aspergit, dicens, pro opportunitate:

Sit hæc aqua suscépti Baptísmatis memória,
et Christum récolat,
qui Passióne et Resurrectióne sua nos redémit.
℟. Amen.

Interim peragitur cantus aptus.

CAPUT XXXIV

ORDO BENEDICENDI STATIONES « VIÆ CRUCIS »

Prænotanda

1097. Quando in ecclesia vel oratorio stationes « Viæ Crucis » eriguntur, opportunum est ut benedictio ac erectio fiat celebratione ad hoc instituta et ab eiusdem ecclesiæ rectore vel ab alio presbytero peracta, cum populi participatione, ita tamen ut celebratio ipsa immediate præcedat pium exercitium « Viæ Crucis ». Si vero stationes « Viæ Crucis » in ecclesia dedicanda vel benedicenda iam exstant, nulla peculiari erectione indigent.

1098. Imagines stationum cum crucibus, vel cruces tantum, convenienti modo coram fidelibus, vel iam proprio loco disponantur.

1099. Ex hoc Ordine semper quædam sumi possunt, ita ut celebratio, structura ritus ac potioribus elementis servatis, condicionibus loci et adstantibus accommodetur.

ORDO BENEDICTIONIS

Ritus initiales

1100. Communitate congregata, cani potest hymnus *Vexílla Regis pródeunt* (cf. App. n. 25), vel alius cantus aptus.

1101. Quo expleto, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

1102. Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Dóminus Iesus,
qui pro nobis passus est,
et suo pascháli mystério nos redémit,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

1103. Tum celebrans ad benedictionem et ad pium exercitium peragendum adstantes disponit his vel similibus verbis:

Deus misericordiárum, hómines salvos fecit per mortem et resurrectiónem Fílii sui. Qui semetípsum exinanívit formam servi accípiens, factus pro nobis obœdiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Imménsam hanc Christi caritátem commemorántes, ad viam crucis mente et corde percurréndam pia devotióne invitámur, ut grátias agéntes Dómino, qui pro nobis in cruce mórtuus est, et nos ipsi peccáto moriámur et in novitáte vitæ ambulémus.

Lectio verbi Dei

1104. Deinde lector, vel unus ex adstantibus, vel ipse celebrans legit textum Sacrarum Scripturarum, ex iis potissimum selectum qui in Missalis Romani Lectionario pro Missis de mysterio sanctæ Crucis [32] vel infra proponuntur.

[32] Cf. *Missale Romanum,* Ordo Lectionum Missæ, nn. 969-975.

1 Petr 2, 19-25 « *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum* ».

Audíte, fratres, verba Petri apóstoli.

Caríssimi: Hæc est grátia, si propter consciéntiam Dei sústinet quis tristítias, pátiens iniúste. Quæ enim glória est si peccántes et colaphizáti sustinétis? Sed si benefaciéntes et patiéntes sustinétis, hæc est grátia apud Deum. In hoc enim vocáti estis, quia et Christus passus est pro vobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia eius: qui peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ipsíus; qui cum maledicerétur, non remaledicébat, cum paterétur, non comminabátur, commendábat autem iuste iudicánti; qui peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum, ut peccátis mórtui iustítiæ viverémus; cuius livóre sanáti estis. Erátis enim sicut oves errántes, sed convérsi estis nunc ad pastórem et epíscopum animárum vestrárum.

1105. Vel:

1 Petr 3, 18 — 4, 2 « *Christo passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini* ».
Caríssimi, Christus semel pro peccátis passus est...

Mt 5, 1-12a « *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam* »..
Videns Iesus turbas ... *12 usque ad* copiósa est in cælis.

Lc 18, 31-34 « *Consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis* ».
Assúmpsit Iesus duódecim ...

1106. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus:

Ps 21 (22), 8-9. 17-18a. 23-24
℞. (2a) *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?*

Ps 30 (31), 2 et 6. 12-13. 15-16
℞. (Lc 23, 46) *Pater, in manus tuas comméndo spíritum meum.*

1107. Celebrans, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

1108. Sequitur prex communis. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria adstantium vel rerum adiuncta respiciant.

Christum, qui diléxit nos et redémit nos in sánguine suo, láudibus extollámus, eíque qui pro nobis mórtuus est et resurréxit, grátias agámus, dicéntes:

℟. *Redemísti nos, Dómine, in sánguine tuo.*

Qui homo factus,
viam salútis in cruce homínibus protulísti:
— fac ut cruci tecum confíxi,
tibi commoriámur
ut et tibi convívere possímus. ℟.

Qui discípulos tuos
crucem suam cotídie baiuláre iussísti:
— ádiuva nos ut te patiéntem sequámur
et gloriósum aliquándo contemplémur. ℟.

Qui ad Calvárium ductus,
adiutórem non recusásti,
qui crucem tuam portáret:
— nos tecum pro Ecclésia
magno ánimo cómpati concéde. ℟.

Qui viam crucis ascéndens
mulíerum plangéntium pia es miseratióne levátus:
— concéde ut fratres nostros
consolatióne sublevémur. ℟.

Qui per sánguinem crucis tuæ
ómnia pacificásti:

— omnes tecum hómines coniúnge
ut omni divisióne subláta,
in uno ovíli te unum hábeant pastórem. ℟.

Qui exaltátus a terra
omnes ad te tráhere promisísti:
— univérsos hómines
ad tuam convérte dilectiónem. ℟.

Qui pati in via crucis voluísti,
ut ómnibus auxílium ferres qui probántur:
— crucis nos édoce sciéntiam
ut qui tuis passiónibus communicámus,
in revelatióne glóriæ tuæ gaudeámus exsultántes. ℟.

Qui in cruce pósitus
latróni tecum compatiénti
paradísum promisísti:
— nobis in huius vitæ dolóribus adésto,
ut tibi compatiéntes in terris
tecum in cælis conglorificámur. ℟.

Qui in cruce pósitus,
Maríam, Matrem tuam, nobis in discípulo commisísti:
— fac ut cum ea passiónis tuæ
consórtes simus et glóriæ. ℟.

ORATIO BENEDICTIONIS

1109. Tum celebrans, manibus extensis, orationem benedictionis profert:

Deus, cuius Fílius
pro nobis tráditus est et resurréxit,
ut peccátis mórtui, iustítiæ vivámus:
benedictiónis tuæ grátia
adésto propítius fidélibus tuis,
passiónis eius mystéria devóte recoléntibus,

ut qui Christum sequéntes crucem suam in patiéntia báiulant in revelatióne glóriæ eius gáudeant exsultántes.

Per Christum Dóminum nostrum.

℞. Amen.

1110. Vel:

Dómine, Pater sancte,
qui voluísti ut crux Fílii tui
ómnium fons benedictiónum
omniúmque fíeret causa gratiárum,
concéde ut beátæ Christi passióni
iúgiter inhæréntes in terris,
ætérna resurrectiónis gáudia consequámur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℞. Amen.

1111. Post orationem benedictionis celebrans, pro opportunitate, imposito ture, incensat omnes cruces vel imagines, dum canitur antiphona (cf. App. n. 19):

Crucem tuam adorámus, Dómine,
et sanctam resurrectiónem tuam
laudámus et glorificámus:
ecce enim propter lignum
venit gáudium in univérso mundo.

Vel alia antiphona vel cantus aptus, v. gr. *Stabat Mater* (cf. App. n. 26).

1112. Deinde sequitur pium exercitium Viæ Crucis, secundum loci consuetudines.

Conclusio ritus

1113. Fieri decet aptus cantus, v. gr. hymnus *Ad cenam Agni próvidi* (cf. App. n. 27), in memoriam Resurrectionis. Postea celebrans populum benedicit, dicens:

Deus, qui per Fílii sui mortem et resurrectiónem
genus humánum redímere dignátus est,

vobis concédat ut, Christi passiónem pie recoléntes,
Dóminum sequámini crucifíxum
ut ipso in cælis perfruámini glorióso.
℟. Amen.

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

1114. Vel:

Benedícat vos Deus,
qui per crucem et sánguinem Fílii sui
nos redímere dignátus est atque salváre.
℟. Amen.

Concédat vobis
ut sanctæ crucis sublimitátem et profúndum,
devóta mente cum ómnibus sanctis
comprehéndere possítis.
℟. Amen.

Quod pie ágitis
sua ipse miseratióne suscípiat,
et quas preces effúnditis
cleménter exaudíre dignétur.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

CAPUT XXXV

ORDO AD CŒMETERIUM BENEDICENDUM

PRÆNOTANDA

1115. Ecclesia, cum cœmeterium locum sacrum habeat, studet ac monet ut nova cœmeteria, quæ vel a communitate catholica vel a publica potestate in regionibus catholicis exstruuntur, benedicantur atque in iis erigatur Crux Domini, signum spei et resurrectionis pro cunctis hominibus.

Christi autem discipuli « neque regione neque sermone neque politicis vitæ institutis a ceteris hominibus sunt distincti »,[33] quorum in familiaritate exoptant degere vitam: pro cunctis ergo hominibus cælestem Patrem exorant, pro illis qui « obierunt in pace Christi, et pro eis quorum fidem Deus solus cognovit ».[34]

Quare Christiani in cœmeteriis sepeliunt et colunt non solum corpora eorum quos fide fratres effecit, sed et eorum quos humana natura fecit consortes: omnes enim Christus in cruce redemit, pro omnibus sanguinem fundens.

1116. Ritus congruenter peragitur ab Episcopo diœcesis; quod munus Episcopus presbytero committere potest, ei præsertim quem adiutorem habeat in cura pastorali fidelium qui cœmeterium ædificandum curaverunt.

Si Episcopus præest omnia opportune aptentur.

1117. Benedictio cœmeterii quolibet die et hora peragi potest, præterquam Feria IV Cinerum et Hebdomada sancta; dies vero potissimum eligatur, quo fideles frequentes convenire possint, præsertim dies Dominica, quia commemoratio hebdomadaria Paschæ Domini sensum paschalem mortis christianæ melius exprimit.

[33] *Epistula ad Diognetum,* 5: Funk, 1, 397.
[34] *Missale Romanum,* Prex Eucharistica IV, n. 123.

1118. Sicubi vero vel a publica potestate vel a communitate christiana — a fratribus nempe seiunctis et a catholicis — exstruitur cœmeterium, quod adhibebitur ad inhumandos defunctos communitatum præsertim christianarum, cœmeterium præstat auspicari celebratione œcumenica, cuius partes omnibus quorum interest cooperantibus disponentur. Celebratio autem, quatenus catholicos respicit, ab Ordinario loci est disponenda.

1119. Si communitas catholica invitatur ad auspicandum cœmeterium quod indolem religioni non christianæ propriam aut mere laicam præfert, Mater Ecclesia ritui non renuit adesse aut preces effundere pro omnibus defunctis. Ad Ordinarium vero loci præsentiam catholicorum spectat moderari.

Sacerdos autem catholicus et fideles, data facultate, Sacræ Scripturæ seligant lectiones, psalmos, preces, quæ dilucide exprimant Ecclesiæ doctrinam de morte et fine hominis, qui suapte natura ad Deum vivum et verum propendet.

ORDO BENEDICTIONIS

Ritus initiales

1120. Ubi fieri potest, præstat communitatem christifidelium ordinatim se conferre ab ecclesia aliove apto loco ad cœmeterium benedicendum. Si processio fieri nequit vel haud opportuna videtur, fideles congregantur ad limen cœmeterii.

Deinde celebrans fideles salutat, dicens:

Grátia Dómini nostri Iesu Christi,
qui largítor est vitæ et mortis triumphátor,
sit cum ómnibus vobis.

vel aliam salutationem huic similem.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

1121. Deinde celebrans fidelium animos ad celebrationem opportune disponit his vel similibus verbis:

Fratres caríssimi: christiána pietáte compúlsi convénimus ad cœmetérium benedicéndum, ubi fratrum nostrórum córpora requiéscent donec dies Dómini gloriósus lucéscat. Dormitiónis loco frátribus defúnctis paráto, ad supérnam civitátem óculos levémus Christúmque aspiciámus pro nobis passum et suscitátum, ut ille, nos resurgéntes benígnus excípiat, quem exspectáre iubémur vigilántes.

1122. Expleta admonitione, celebrans dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc celebrans, extensis manibus, prosequitur:

Deus, qui fidéles tuos
peregrínam in terris constítuis Ecclésiam,
ut ætérnos íncolas in cælos recípias,
réspice hanc famíliam tuam,
pie adeúntem cœmetérium,
et præsta, ut locus,
quem ad inhumánda córpora parávit,
eam de vita in Christo futúra commóneat,
qui reformábit corpus humilitátis nostræ
configurátum córpori claritátis suæ.
Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

1123. Oratione expleta, diaconus admonet:

Procedámus in pace.

Et ordinatur processio ad cœmeterium hoc modo: præcedit crucifer medius inter duos ministros cum intorticiis accensis; sequitur celebrans cum ceteris ministris, postremo fideles.

1124. Incedente processione canitur antiphona (cf. App. n. 28):

Pórtio mea, Dómine, sit in terra vivéntium.

vel antiphona (cf. App. n. 29):

Aperíte mihi portas iustítiæ,
ingréssus in eas confitébor Dómino.

vel antiphona (cf. App. n. 30):

Hæc porta Dómini, iústi intrábunt in eam.

cum Psalmo 117 (118), vel alio psalmo ex Ordine Exsequiarum præsertim sumpto,[35] vel alius aptus cantus.

1125. Si processio non est facienda, statim post collectam celebrans cum ministris et fidelibus ingreditur cœmeterium dum canitur antiphona (cf. App. n. 31):

Audívi vocem de cælo dicéntem:
beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur.

cum Psalmo 133 (134), vel alius aptus cantus.

Liturgia verbi Dei

1126. Processio pergit ad locum in quo Crux est erecta, ubi fiet lectio verbi Dei; si ibi commode hoc peragi non potest, ad sacellum cœmeterii vel ad alium aptiorem locum.

1127. Deinde leguntur unus vel plures Sacræ Scripturæ textus ex iis potissimum selecti qui in Lectionario Ordinis Exsequiarum proponuntur,[36] interiectis congruentibus psalmis responsoriis vel sacro silentio per aliquod temporis spatium servato. Lectio autem Evangelii principem locum semper obtineat. Si autem sequitur celebratio liturgiæ eucharisticæ, legantur, congruo interiecto psalmo responsorio, saltem duæ lectiones e Lectionario defunctorum [37] sumptæ, quarum altera sit Evangelii.

[35] Cf. *Rituale Romanum*, Ordo Exsequiarum, nn. 145-165.
[36] Cf. *ibid.*, nn. 83-144.
[37] Cf. *Missale Romanum*, Ordo Lectionum Missæ, nn. 1011-1026.

1128. Quibus expletis, celebrans homiliam habet illustrans tum lectiones biblicas tum sensum paschalem mortis christianæ.

ORATIO BENEDICTIONIS

1129. Expleta homilia, celebrans, stans ante Crucem in medio cœmeterii positam, ipsam Crucem et aream cœmeterialem benedicit, dicens, manibus extensis:

Deus totíus consolatiónis,
mortália córpora e terra plasmáta
iusta senténtia ad terram redíre statuísti,
sed misericórdi consílio hoc pœnæ decrétum
in testimónium amóris convertísti:
tu enim Abrahæ, credéntium patri,
in terra promissiónis sepultúram providísti;
tu, Tobíæ pietátem
in sepeliéndis frátribus sublimásti;
tu Fílium tuum unigénitum
in novo voluísti condi sepúlcro
ex quo victor mortis resúrgeret
et nobis futúræ resurrectiónis pignus offérret.
Te ergo quǽsumus, Dómine,
ut hoc cœmetérium ad inhumánda córpora
sub umbra Crucis instrúctum,
tuæ benedictiónis ✠ virtúte
locus fiat requiétis et spei;
hic defunctórum córpora in pace requiéscant
donec glorióso Fílii tui advéntu
immortáles resúrgant;
hic vivórum mentes ad spem erigántur ætérnam;
hinc tibi acceptábiles preces ascéndant,
quæ suffrágio sint dormiéntibus in Christo
et tuam misericórdiam sine fine colláudent.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

1130. Tunc celebrans in turibulum incensum immittit et Crucem incensat. Deinde aqua benedicta aspergit cœmeterium et adstantes. Aspersionem cœmeterii peragere potest vel stans in media area cœmeteriali vel circumiens muros, quo in casu opportune canitur antiphona (cf. App. n. 32):

Exsultábunt Dómino ossa humiliáta.

cum Psalmo 50 (51), vel alius aptus cantus.

Liturgia eucharistica vel preces

1131. Quibus peractis, si celebrandum est sacrificium dominicum pro defunctis, celebrans, facta cum ministris debita reverentia, osculo altare veneratur.

Ministri corporale, purificatorium, calicem, Missale in altari collocant; deinde afferunt panem, vinum et aquam, et Missa prosequitur more solito.

1132. Si vero dedicandum vel benedicendum est altare sacelli cœmeterii, omnia fiant, aptatis aptandis, ut in Ordine dedicationis ecclesiæ et altaris, in Pontificali Romano dicitur.[38]

1133. Si autem Eucharistia non celebratur, expleta aspersione cœmeterii, ritus concluditur communi prece, vel modo orationis universalis in Missæ celebratione consueto vel modo qui hic proponitur:

Christo Dómino, qui in cruce móriens peccátum delévit atque e sepúlcro resúrgens mortem destrúxit, súpplices acclamémus, dicéntes:

℟. *Tu es vita et resurréctio nostra.*

Christe, Fili hóminis,
qui, in cruce móriens, Matrem passióni tuæ sociásti,

[38] Cf. *Pontificale Romanum,* Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, cap. IV et VI.

et resúrgens, replevísti lætítia,
— tribulátos súbleva eorúmque spem confírma. ℟.

Christe, Fili Dei vivi,
qui amícum Lázarum a mórtuis suscitásti,
— ad vitam et glóriam defúnctos súscita,
quos pretióso tuo sánguine redemísti. ℟.

Christe, mæréntium consolátor,
qui matris víduæ fílii mortem complorántis,
lácrimas abstersísti adolescéntem súscitans,
— omnes consoláre qui suos collácrimant defúnctos. ℟.

Christe redémptor,
illúmina eos qui te non cognoscéntes,
spem non habent,
— ut resurrectiónem credant et vitam sǽculi ventúri. ℟.

Christe, lux mundi,
qui cæco nato oculórum lúmina dedísti
et te conspiciéndi facultátem præbuísti,
— tuum revéla vultum defúnctis,
qui nondum tua fruúntur luce. ℟.

1134. Deinde celebrans opportune introducit orationem dominicam his vel similibus verbis:

Nunc ad cælórum Patrem ánimos erigámus
illam Dómini precem dicéntes,
qua et advéntum regni pétimus
et nostra postulámus relaxári delícta.

Omnes:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.

Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.
Quia tuum est regnum,
et potéstas, et glória in sǽcula.

1135. Tunc celebrans benedicit populum, dicens:

Benedícat vos Deus totíus consolatiónis,
qui hóminem ineffábili bonitáte creávit,
et in resurrectióne Unigéniti sui
spem credéntibus resurgéndi concéssit.

℟. Amen.

Nobis, qui vívimus, véniam tríbuat pro peccátis,
et ómnibus defúnctis locum concédat lucis et pacis.

℟. Amen.

Ut omnes cum Christo sine fine felíciter vivámus,
quem resurrexísse a mórtuis veráciter crédimus.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

1136. Tum diaconus populum dimittit.

PARS QUARTA

DE BENEDICTIONIBUS RERUM QUÆ AD DEVOTIONES POPULI CHRISTIANI FOVENDAS TRADUNTUR

PRÆNOTANDA PARTIS QUARTÆ

1137. Pia populi christiani exercitia, quæ legibus congruant et normis in hac materia latis, ad pietatis incrementum fovendum ex more sustinet Ecclesia. Cum autem pro precibus liturgicis et piis exercitiis res seu obiecta quædam adhibeantur, uti sunt vel coronæ rosarii beatæ Mariæ Virginis, vel alia huiusmodi, opportune hæc omnia benedictionis celebratione fidelibus commendantur.

1138. Proba insuper apud fideles invaluit consuetudo secum afferendi obiecta quædam devotionis, alia vero adhibendi ad orationem faciendam, sacras in domibus suis imagines exponendi, res benedictas, apud se conservandi etiam ut potus ac esculenta.

Ad huiusmodi pietatis formis quodammodo consulendum, hac in parte nonnulla proponuntur exempla pro benedictionibus variis in adiunctis celebrandis.

CAPUT XXXVI

ORDO BENEDICENDI POTUS VEL ESCULENTA ALIASVE RES DEVOTIONIS CAUSA

PRÆNOTANDA

1139. Quibusdam in locis peculiares ritus benedictionis peragi solent, v. gr. aquæ, panis, vini, olei, aliorum esculentorum, aliarumve rerum quas fideles interdum, devotionis causa, benedicendas afferunt, sive occasione alicuius festi vel temporis anni liturgici, sive in honorem beatæ Mariæ Virginis vel Sanctorum.

In his benedictionibus celebrandis curet animarum pastor ut, fideles germanum ritus sensum recte intellegant. Celebrans in monitione vel allocutione præ oculis habeat, quantum fieri potest, eas traditiones ac Sanctorum vitæ narrationes, si casus fert, quibus illustrari possit origo vel sensus peculiaris illius celebrationis in ipsorum honorem adhibitæ. Veritatem autem historicam semper servetur oportet.

1140. Pro his celebrationibus in ecclesia a sacerdote vel diacono peragendis, populi concursus et actuosa participatio commendatur.

1141. Si plura esculenta simul benedicenda sunt, ritus ne multiplicentur, sed unico ritu omnia benedicantur, congrua adhibita formula.

1142. Ex hoc Ordine, retentis semper ritus structura et potioribus elementis, quædam sumi possunt ut celebratio adiunctis loci et personarum accommodetur.

1143. Hæ benedictiones celebrari possunt intra Missam tantummodo in festis beatæ Mariæ Virginis et Sanctorum, ubi traditio popularis viget et fideles solent Missam frequentare ritu infra nn. 1157-1161 proposito. Quando benedictio intra Missam celebratur, semel tantum in die peragi potest.

I. ORDO BENEDICTIONIS EXTRA MISSAM

Ritus initiales

1144. Populo congregato, opportune canitur hymnus vel apta antiphona. Cantu expleto, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

1145. Deinde celebrans adstantes salutat dicens:

Deus, qui elégit nos
ut sancti simus,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

1146. Tum celebrans adstantes ad benedictionis celebrationem disponit his vel similibus verbis:

Deus, qui omnipoténtiam et bonitátem suam ubíque terrárum maniféstat, eleménta parvi étiam prétii Ecclésiæ suæ commíttit benedicénda, ut quotquot, pia devotióne (invocáto nómine beátæ Maríæ Vírginis vel Sanctórum), iísdem religióse usi fúerint, ad invisibília trahántur, Deúmque benedícant qui patrans útique mirabília solus, mirábilis vero manet étiam in Sanctis suis.

LECTIO VERBI DEI

1147. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit e Sacra Scriptura textum hic propositum, vel alium e Lectionario opportune desumptum. Adhiberi etiam potest textus selectus ex iis qui infra proponuntur.

Mt 7, 7-11 « *Petite et dabitur vobis* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

In illo témpore dixit Iesus discípulis suis: « Pétite et dábitur vobis; quǽrite et inveniétis; pulsáte, et aperiétur vobis. Omnis enim qui petit, áccipit; et qui quærit, ínvenit; et pulsánti aperiétur. Aut quis est ex vobis homo, quem si petíerit fílius suus panem, numquid lápidem pórriget ei? Aut si piscem petíerit, numquid serpéntem pórriget ei? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis dona bona dare fíliis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona peténtibus se ».

1148. Vel:

a) *Pro benedictione aquæ*

Ex 17, 1-7 « *Da nobis aquam ut bibamus* ».
In illo témpore profécta omnis congregátio ...

2 Reg 2, 19-22 « *Sanavi aquas has, et non erit ultra in eis mors* ».
Dixérunt viri civitátis ad Elisǽum prophétam ...

b) *Pro benedictione panis*

1 Reg 19, 3b-8 « *Ambulavit in fortitudine panis* ».
Surgens Elías ábiit ...

Sap 16, 20-21. 24-26 « *Ut discerent filii tui, quos dilexisti* ».
Angelórum esca nutrivísti ...

Io 6, 28-35 « *Operamini non cibum qui perit* » (v. 27).
Dixérunt ad Iesum Iudǽi: « Quid faciémus ...

c) *Pro aliis esculentis*

Gen 1, 27-31a « *Dedi vobis omnia quæ habent fructum ad vescendum* ».
Creávit Deus hóminem ...

Gen 9, 1-3 « *Omne quod movetur et vivit erit vobis in cibum* ».
Benedíxit Deus Noe ...

Ex 12, 1-4. 6-8. 11 « *Sic comedetis agnum; est Pascha Domini!* ».
Dixit Dóminus ad Móysen ...

Lc 11, 9-13 « *Petite et dabitur vobis* ».
In illo témpore, dixit Iesus discípulis suis: « Ego dico vobis ...

d) *Pro oleo, vino, sale*

Sir 39, 30-41 « *Necessaria vitæ hominum* ».
Bona bonis creáta sunt ab inítio ...

Mt 5, 13-16 « *Vos estis sal terræ* ».
In illo témpore dixit Iesus discípulis suis: « Vos estis ...

Mc 6, 7-13 « *Ungebant oleo multos et sanabant* ».
Cónvocat Iesus duódecim ...

Lc 10, 30-37 « *Alligavit vulnera eius, infundens oleum* ».
In illo témpore, suscípiens Iesus dixit ...

Io 2, 1-11 « *Tu servasti bonum vinum usque adhuc* ».
In illo témpore, núptiæ factæ sunt ...

e) *Pro floribus (v. gr. rosis, liliis ..)*

Sir 24, 1a. 17-31 « *Plantatio rosæ in Ierícho* ».
Sapiéntia laudábit ánimam suam. Quasi cedrum ...

2 Cor 2, 14-17 « *Christi bonus odor sumus Deo* ».
Deo grátias, qui ...

Mt 6, 25-34 « *Considerate lilia agri* ».
Dixit Iesus discípulis suis: « Ne sollíciti sitis ánimæ vestræ ...

f) *Pro benedictione cereorum*

Mt 4, 13-17 « *Populus vidit lucem magnam* ».
Relícta Názareth, venit Iesus ...

Lc 2, 27-33 « *Lumen ad gloriam plebis tuæ* ».
Venit Símeon in Spíritu ...

Io 1, 6-10 « *Erat lux vera* ».
Fuit homo missus a Deo ...

Eph 5, 8-10 « *Ut filii lucis ambulate* ».
Erátis aliquándo ténebræ ...

1149. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus:

Ps 8, 2 et 4. 5-7a. 7b-9
℟. (10) *Dómine, Dóminus noster,*
quam admirábile est nomen tuum in universa terra!

Ps 22 (23), 1-3. 4. 5. 6
℟. (5) *Parásti in conspéctu meo mensam, Dómine!*

Ps 103 (104), 10-12. 13-15. 16-18. 19-21. 22-23
℟. (24) *Quam multiplicáta sunt ópera tua, Dómine!*

Ps 146-147 (147), 7-8. 9-11. 12-13. 14-16
℟. (1) *Laudáte Dóminum,*
quóniam bonum est psállere Deo nostro.

1150. Post lectiones fit homilia in qua celebrans illustrat cum lectiones tum sensum ritus.

PRECES

1151. Ante orationem benedictionis prex communis haberi potest, quæ congrue aptetur festivitati vel tempori liturgico.

1152. Quando preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, celebrans dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Deinde celebrans benedictionis orationem profert.

ORATIO BENEDICTIONIS

1153. Tum celebrans, manibus extensis, orationem benedictionis profert:

a) *Pro potu et esculentis*

Benedíctus es, Dómine, Deus noster,
qui ómnia tua reples benedictióne;
fámulis tuis, quǽsumus, concéde
ut qui hac creatúra
(in memóriam et per intercessiónem
beátæ Maríæ Vírginis / Sancti N.)
(in hac festivitáte celebránda)
devóte usi fúerint,
cælésti grátiæ rore indesinénter abúndent,
ut divína prorsus quæréntes
in caritáte semper profíciant.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

b) *Pro aliis rebus*

Dómine Deus,
qui Ecclésiam tuam Sanctórum virtúte
multiplíciter exórnas:
esto, quǽsumus, propítius his fámulis tuis,
qui hoc (his) bonitátis tuæ signo (signis)
(in memóriam et honórem
beátæ Maríæ Vírginis / Sancti tui N.)
religióse uti desíderant,
ut tuórum repleántur dilectióne mandatórum,
et præséntis vitæ auxíliis roboráti,
ad immortalitátis efféctum secúri profíciant.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

vel:

c) *Pro pluribus præsertim rebus*

Deus virtútum,
fons gratiárum et coróna Sanctórum,
concéde nobis,
beáta María Vírgine (vel Sancto N.) intercedénte,
ut dum his útimur rebus,
quæ tibi benedicénda deférimus,
imitári non pígeat
quod celebráre deléctat,
et de cuius protectióne gratulámur in terris,
eiúsdem in cælis consórtio perfruámur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

1154. Potus, esculenta vel aliæ res, ubi mos viget, aqua benedicta aspergi possunt.

Conclusio ritus

1155. Tum celebrans ritum concludit, manibus super fideles extensis, dicens:

Devotiónem vestram Dóminus dignánter inténdat,
et remédia vobis opportúna
divína pietáte concédat.
℟. Amen.

Tranquíllam vobis cónferat vitam,
et bonis ómnibus abundáre vos fáciat.
℟. Amen.

Tali vos subsídio pietátis regat in terris
ut beatitúdinis mérito sustóllat in cælum.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

1156. Laudabiliter ritus cantu apto perficitur.

II. ORDO BENEDICTIONIS INTRA MISSAM IN DIE FESTO ADHIBENDUS

1157. Post lectionem verbi Dei fit homilia, in qua sacerdos tum lectiones biblicas, tum sensum benedictionis in honorem beatæ Mariæ Virginis vel Sancti declarat.

1158. Sequitur Oratio fidelium, modo in Missæ celebratione consueto; quam orationem celebrans concludit congrua oratione benedictionis ex iis selecta, quæ infra proponuntur. Fieri etiam potest communis prex modo qui hic proponitur. Ex invocationibus, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria adstantium vel rerum adiuncta respiciant.

Per intercessiónem beátæ Maríæ Vírginis (vel Sancti N.)
Deum laudémus, dicéntes:

℟. *Gloriósus es, Dómine, in Sanctis tuis.*

Clementíssime Pater,
qui in beáta María Vírgine (vel in Sancto N.)
omnipoténtiam tuam mirabíliter revelásti,
— concéde ut nos, Baptísmi grátia suffúlti,
novi hómines in dies fíeri valeámus. ℟.

Qui per Sanctos servos tuos
misericórdiam tuam nos experíri concédis:
— fac ut, quæ in illis admiránda vidémus,
in vitæ nostræ ratiónem transferámus. ℟.

Qui per beátos tuos
sanctitátem Ecclésiæ homínibus maniféstas,
— da ut glóriæ tuæ procurándæ
fratrúmque salúti persequéndæ
semper instántes simus. ℟.

Qui Sanctos tuos intercessóres nostros
fíeri voluísti,
— præsta ut, a præséntibus malis liberáti,
cum eísdem felíciter ætérna hereditáte fruámur. ℟.

Deinde celebrans prosequitur:

Deus virtútum,
fons gratiárum et coróna Sanctórum,
concéde nobis,
beáta María Vírgine (vel Sancto N.) intercedénte,
ut dum his útimur rebus,
quæ tibi benedicénda deférimus,
imitári non pígeat
quod celebráre deléctat,
et de cuius protectióne gratulámur in terris,
eiúsdem in cælis consórtio perfruámur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

1159. Adhiberi etiam possunt orationes quæ supra n. 1153 proponuntur.

1160. In fine celebrationis Missæ convenienter adhibeatur benedictio sollemnis de beata Maria Virgine:

Deus, qui per beátæ Maríæ Vírginis partum
genus humánum sua vóluit benignitáte redímere,
sua vos dignétur benedictióne ditáre.
℟. Amen.

Eiúsque semper et ubíque patrocínia sentiátis,
per quam auctórem vitæ suscípere meruístis.

℟. Amen.

Et qui ad eius celebrándam sollemnitátem
hodiérna die devótis méntibus convenístis,
spiritálium gaudiórum cælestiúmque præmiórum
vobíscum múnera reportétis.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

1161. vel una ex orationibus super populum pro festis Sanctorum:

Exsúltet, Dómine, pópulus christiánus
de magnórum Fílii tui glorificatióne membrórum;
et in quorum est celebritáte tibi devótus,
partem acquírat in eórum sorte perpétua,
atque de tua glória semper congáudeat.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

vel:

Plebis tuæ, quǽsumus, Dómine,
ad te semper corda convérte,
et quam tantis facis patrocíniis adiuvári,
perpétuis non désinas gubernáre præsídiis.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

CAPUT XXXVII

ORDO BENEDICTIONIS RERUM, QUÆ AD PIETATEM ET DEVOTIONEM EXERCENDAM DESTINANTUR

PRÆNOTANDA

1162. Præsens Ordo adhibendus est ad benedicenda numismata, parvas cruces, imagines religiosas in locis non sacris exponendas, scapularia, coronas et similia pro piis exercitiis absolvendis.

1163. Præsertim in sanctuariis vel in peregrinationum locis, quo fideles frequentiores conveniunt, hæc benedictio rerum ad pietatem pertinentium opportune fit celebratione communi, et congruenti modo includi potest in celebrationibus peculiaribus pro peregrinis.

1164. Hic Ordo adhiberi potest a sacerdote et a diacono, qui ritus structura et potioribus elementis servatis, celebrationem adiunctis rerum ac personarum aptabunt.

1165. Si pro una tantum re benedictio sit celebranda, minister adhibere potest Ritum breviorem qui in fine huius Ordinis exhibetur, nn. 1178-1181, vel in peculiaribus adiunctis, tantummodo formulam brevem, quæ n. 1182 exhibetur.

I. ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

1166. Populo congregato, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

1167. Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Grátia, misericórdia et pax,
Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

1168. Tum celebrans adstantes ad benedictionis celebrationem disponit his vel similibus verbis:

Pietátis signa quæ vobíscum benedicénda sumpsístis, ália álio modo fidem vestram osténdunt, nam ad Dómini nostri amórem revocándum insérviunt, vel ad fidúciam in auxílio beátæ Maríæ Vírginis et Sanctórum augéndam.
Cum ergo benedictiónem Dómini super hæc signa et imágines invocámus, id potíssimum attendéndum est: ut nosmetípsi tale christiánæ vitæ testimónium præbeámus quale, his rebus adhíbitis, iure nobis exhibéndum esse vidétur.

Lectio verbi Dei

1169. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit textum Sacrarum Scripturarum, selectum præsertim ex iis qui infra proponuntur. Adhiberi etiam possunt alii textus ritui congruentes.

2 Cor 3, 17b — 4, 2 « *Gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Coríntios.

Ubi Spíritus Dómini, ibi libértas. Nos vero omnes reveláta fácie glóriam Dómini speculántes, in eándem imáginem

transformámur a claritáte in claritátem tamquam a Dómini Spíritu.
Ideo habéntes hanc ministratiónem, iuxta quod misericórdiam consecúti sumus, non defícimus, sed abdicávimus occúlta dedécoris non ambulántes in astútia, neque adulterántes verbum Dei, sed in manifestatióne veritátis commendántes nosmetípsos ad omnem consciéntiam hóminum coram Deo.

1170. Vel:

Rom 8, 26-31 « *Quid oremus sicut oportet nescimus, sed Spiritus secundum Deum postulat pro sanctis* ».
Spíritus ádiuvat infirmitátem nostram ...

1 Cor 13, 8-13 « *Videmus nunc per speculum, tunc facie ad faciem* ».
Cáritas numquam éxcidit ...

1 Cor 15, 45-50 « *Sicut portavimus imaginem terreni, portabimus et imaginem cælestis* ».
Factus est primus homo ...

2 Cor 4, 1-7 « *Christus est imago Dei* ».
Nos, apóstoli Christi, habéntes hanc ministratiónem ...

Gal 1, 1. 3-5 — 2, 19b-20 « *Christo confixus sum cruci* ».
Paulus apóstolus ... *3* grátia vobis et pax ... *2, 19b* Christo confíxus sum cruci ...

Eph 3, 14-21 « *Potens est Deus supra omnia facere superabundanter quam petimus aut intellegimus* ».
Ego, Paulus, flecto génua mea ...

Col 3, 14-17 « *Omnia in nomine Domini, gratias agentes Deo* ».
Super ómnia hæc caritátem ...

Lc 11, 5-13 « *Petite et dabitur vobis; quærite et invenietis* ».
Ait Iesus ad illos: « Quis vestrum habébit amícum ...

Lc 18, 1-8 « *Oportet semper orare, et non deficere* ».
Dicébat Iesus parábolam ad illos, quóniam ...

1171. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 99 (100), 2. 3. 4. 5
℟. (5b) *In ætérnum misericórdia Dómini.*

Ps 122 (123), 1. 2. 3-4
℟. (1) *Ad te leváví óculos meos, qui hábitas in cælis.*

Ps 138 (139), 1-2. 3-4. 5-6. 7-8. 9-10
℟. (4b) *Ecce, Dómine, tu cognovísti ómnia.*

Ps 150, 1-2. 3-4. 5
℟. (2a) *Laudáte Dóminum in magnálibus eius.*

1172. Post lectionem opportune fit homilia in qua celebrans illustrat cum lectionem tum sensum ritus.

1173. Ante orationem benedictionis, communis prex haberi potest. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur, vel alias adicere quæ peculiaria adstantium vel rerum adiuncta respiciant.

Non spéciem pietátis, fratres, habéntes, sed eius ex corde profiténtes virtútem, Dóminum invocémus:

℟. *Emítte in nos, Dómine, spíritum pietátis.*

Clementíssime Deus,
qui mirabílium tuórum,
nos iúgiter mémores esse summópere cupis,
— fac ut, per ea quæ óculis intuémur
ad signa misericórdiæ tuæ contemplánda incitémur. ℟.

Qui adoratóres in spíritu et veritáte quæris,
— concéde ut his rebus signísque iuvántibus
pietátem semper sectémur et fidem. ℟.

Qui mandátum semper orándi
per Fílium tuum nobis dedísti,
— da ut in oratióne perseverántes
vitam agámus in omni pietáte et castitáte. ℟.

Qui in Ecclésia tua
sanctitátis pietatísque subsídia
mirábili dispensatióne largíris,
— fac ut, quod de Ecclésiæ mánibus recípimus,
in eiúsdem increméntum adhibeámus. ℟.

Tum sequitur oratio benedictionis ut infra.

1174. Quando preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, celebrans dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Deinde celebrans benedictionis orationem profert.

Oratio benedictionis

1175. Tum celebrans, manibus extensis, dicit:

Benedíctus es, Dómine,
omnis benedictiónis fons et orígo,
qui de fidélium tuórum corroboráta pietáte lætáris:
his fámulis tuis, quǽsumus, benígnus adésto
et præsta ut ipsi,
hæc fídei atque pietátis signa gestántes,
in Fílii tui imáginem stúdeant transformári.
Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

Conclusio ritus

1176. Celebrans ritum concludit, dicens:

Deus, qui in Christo
glóriam suam nobis revelávit,
vobis concédat vitam vestram
imágini eius conformáre,
ut fácie ad fáciem eum vidére valeátis.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

1177. Laudabiliter ritus cantu apto perficitur.

II. RITUS BREVIOR

1178. Initio celebrans dicit:

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

Omnes respondent:

℟. Et salutáre tuum da nobis.

1179. Tum celebrans ad benedictionis celebrationem adstantes pro opportunitate disponit.

1180. Unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit aliquem textum Sacræ Scripturæ.

Rom 8, 26b. 27b: Quid orémus, sicut opórtet, nescímus, sed ipse Spíritus interpéllat gemítibus inenarrabílibus, quia secúndum Deum póstulat pro sanctis.

Col 3, 17: Omne, quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Iesu grátias agéntes Deo Patri per ipsum.

Lc 11, 9-10: Ego dico vobis: « Pétite, et dábitur vobis; quǽrite, et inveniétis; pulsáte et aperiétur vobis. Omnis enim qui petit, áccipit; et qui quærit, ínvenit; et pulsánti aperiétur ».

1181. Deinde celebrans dicit, manibus extensis:

Devotiónis tuæ pietátis vota
sua Dóminus benedictióne ✠
misericórditer fóveat atque confírmet,
ut et præséntem vitam sine offensióne percúrras
et ætérnam felíciter consequáris.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

FORMULA BREVIS

1182. In peculiaribus adiunctis, sacerdos vel diaconus adhibere potest sequentem formulam brevem:

In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti.

℟. Amen.

CAPUT XXXVIII

ORDO BENEDICTIONIS CORONARUM ROSARII

PRÆNOTANDA

1183. Benedictionem plurium coronarum Rosarii fieri decet aliqua celebratione quæ immediate præcedat piam Rosarii recitationem cum populi participatione.

1184. Ordo pro celebratione communi convenienter adhibetur etiam in festis ac memoriis beatæ Mariæ Virginis, vel occasione piæ peregrinationis. Coronæ Rosarii benedici possunt una simul cum aliis rebus quæ ad pietatem ac devotionem pertinent, iuxta Ordinem infra descriptum.

1185. Hic Ordo adhiberi potest a sacerdote et a diacono, qui, ritus structura et potioribus elementis servatis, celebrationem adiunctis rerum ac personarum aptabunt.

1186. Si pro una tantum vel paucis coronis Rosarii benedictio est celebranda, minister adhibere potest Ritum breviorem qui in fine huius Ordinis, nn. 1202-1206, exhibetur, vel in peculiaribus adiunctis, tantummodo formulam brevem, quæ n. 1207 exhibetur.

I. ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

1187. Populo congregato, celebrans accedit dum opportune canitur hymnus *Te gestiéntem gáudiis,*[1] vel alius cantus aptus.

1188. Cantu expleto, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

[1] Cf. *Liturgia Horarum,* in memoria B.M.V. a Rosario, die 7 octobris, ad Laudes matutinas (cf. App. n. 33).

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

1189. Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Grátia vobis et pax
a Deo Patre nostro,
a quo, per Fílium ex Vírgine natum,
bona cuncta procédunt.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

1190. Tum celebrans adstantes ad benedictionis celebrationem disponit his vel similibus verbis:

Beáta Virgo, ab ætérno una cum divíni Verbi incarnatióne, tamquam Mater Dei prædestináta, his in terris éxstitit alma redemptóris mater, eiúsque óperi, singulári prorsus modo, cooperáta est.
Hoc divínæ providéntiæ consílium in ratióne illa precándi, quæ Rosárium vocátur, próprie miréque extóllitur: quare Rosárium semper ab Ecclésiæ pastóribus magni factum est et veheménter commendátum. Iure ergo Ecclésia et Rosárii corónas et eos qui, Rosárium recitántes, redemptiónis nostræ mystéria récolunt et meditántur, peculiári ditat benedictióne, ut cum María et per Maríam laudes Deo exsolvántur.

LECTIO VERBI DEI

1191. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit textum Sacrarum Scripturarum, ex iis potissimum selectum qui in

Missali Romano pro Lectionario de Communi beatæ Mariæ Virginis [2] indicantur, vel ex iis qui infra proponuntur.

Lc 2, 46-52 « *Mater Iesu conservabat omnia verba in corde suo* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Lucam.

Post tríduum María et Ióseph invenérunt púerum Iesum in templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos et interrogántem eos; stupébant autem omnes, qui eum audiébant, super prudéntia et respónsis eius. Et vidéntes eum admiráti sunt, et dixit Mater eius ad illum: « Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te ». Et ait ad illos: « Quid est quod me quærebátis? Nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? ». Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad illos. Et descéndit cum eis et venit Názareth et erat súbditus illis. Et mater eius conservábat ómnia verba in corde suo. Et Iesus proficiébat sapiéntia et ætáte et grátia apud Deum et hómines.

1192. Vel:

Act 1, 12-14 « *Omnes erant perseverantes unanimiter in oratione, cum Maria, matre Iesu* ».

Audíte, fratres, verba Actuum Apostolórum.

Postquam vidérunt Iesum ascendéntem in cælum, revérsi sunt apóstoli in Ierúsalem a monte, qui vocátur Olivéti, qui est iuxta Ierúsalem sábbati habens iter. Et cum introíssent in cenáculum ascendérunt, ubi manébant et Petrus et Ioánnes et Iacóbus et Andréas, Philíppus et Thomas, Bartholomǽus et Matthǽus, Iacóbus Alphǽi et Simon Zelótes et

[2] Cf. *Missale Romanum*, Ordo Lectionum Missæ, nn. 707-712.

Iudas Iacóbi. Hi omnes erant perseverántes unanímiter in oratióne cum muliéribus et María matre Iesu et frátribus eius.

1193. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 112 (113), 1-2. 3-4. 5-6. 7-8
℟. (2) *Sit nomen Dómini benedíctum in sǽculum!*

Lc 1, 46-47. 48-49. 50-51. 52-53. 54-55
℟. (49) *Fecit mihi magna qui potens est,*
et sanctum nomen eius.

1194. Celebrans, pro opportunitate, adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut fideles sensum celebrationis fide percipiant et modum pie ac fructuose orandi, Rosarii adhibita corona, facilius addiscant.

PRECES

1195. Ubi opportunum videtur, ante orationem benedictionis, fit communis prex. Ex intentionibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria adstantium vel rerum adiuncta respiciant.

Quóniam præstans devotiónis nostræ signum erga Vírginem Maríam coróna Rosárii mérito considerátur, per intercessiónem ipsíus beátæ Vírginis, Dóminum invocémus dicéntes:

℟. *Fac, Dómine, ut per Maríam Christo intímius adhæreámus.*

Clementíssime Pater,
qui Maríam, verbo tuo consentiéntem,
sóciam Redemptiónis
felíciter elegísti,

— concéde, ut Ecclésia tua,
ipsa beáta Vírgine intercedénte,
redemptiónis fructus
abúnde percípiat. ℟.

Qui Vírginem Maríam
Christo Fílio tuo arcto vínculo coniúngens
plenitúdine grátiæ tuæ mirabíliter donásti,
— concéde ut ipsam grátiæ advocátam
iúgiter sentiámus. ℟.

Qui in Vírgine María
perféctum nobis exémplum
Christi sequélæ præbére voluísti,
— fac ut mystéria salútis,
quæ in oratióne Rosárii pie recólimus,
in vitam quoque nostram
efficáciter transférre conémur. ℟.

Qui Vírginem Maríam ómnia verba tua
in corde suo conserváre docuísti,
— fac ut, eius exémplum secúti,
verba Fílii tui suscipiámus in fide
et in ópere exsequámur. ℟.

Qui Apóstolis tuis, cum María Matre Iesu orántibus,
Sanctum dedísti Spíritum
— præsta ut perseverántes in oratióne,
sicut Spíritu vívimus
Spíritu et ambulémus. ℟.

Tum celebrans orationem benedictionis profert, ut infra.

1196. Quando preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, celebrans dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Deinde celebrans benedictionis orationem profert.

ORATIO BENEDICTIONIS

1197. Tum celebrans, manibus extensis, dicit:

Benedíctus sit Deus ac Pater noster,
qui Fílii sui mystéria
et recolénda præbet
et fide celebránda concédit.
Præstet nobis fidélibus suis,
pia Rosárii precatióne suffúltis,
ut, Iesu gáudia, passiónem et glóriam
cum María, eius Matre,
et in corde nostro conférre
et conserváre iúgiter studeámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

1198. Vel:

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut in huius Rosárii coróna devóte recitánda
fidéles tui beátam Maríam Vírginem fidénter implórent
et Christi Iesu mystéria assídue revolvéntes,
quæ in oratióne récolunt
in vitæ tránsferant actiónem.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

1199. Vel:

Omnípotens et miséricors Deus,
qui propter exímiam caritátem

qua dilexísti nos,
Fílium tuum
ex beáta Vírgine María
de Spíritu Sancto carnem suscípere,
mortem in cruce subíre,
et a mórtuis resúrgere voluísti:
benedícere dignáre
omnes qui his Rosárii corónis usi fúerint
in honórem Genetrícis Fílii tui,
et lábiis ac mente oráverint,
ut perseveránti devotióne abúndent,
et, in vitæ éxitu, ab ipsa beáta Vírgine María
tibi præsentári mereántur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

1200. Deinde sequitur pia recitatio Rosarii, secundum loci consuetudines.

Conclusio ritus

1201. Post cantum antiphonæ, v. gr. *Salve Regina* (cf. App. n. 4), vel alium aptum cantum, celebrans ritum concludit, dicens:

Deus, qui per beátam Maríam Vírginem,
mundum lætificáre dignátus est,
sua vos benignitáte ditáre dignétur.

℟. Amen.

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

II. RITUS BREVIOR

1202. Initio celebrans dicit:

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

Omnes:

℟. Et salutáre tuum da nobis.

1203. Tum celebrans ad benedictionis celebrationem adstantes pro opportunitate disponit.

1204. Unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit aliquem textum Sacræ Scripturæ:

Lc 2, 51b-52: Mater Iesu conservábat ómnia verba in corde suo. Et Iesus proficiébat sapiéntia et ætáte et grátia apud Deum et hómines.

Act 2, 14: Hi omnes erant perseverántes unanímiter in oratióne, cum muliéribus et María matre Iesu et frátribus eius.

1205. Deinde celebrans dicit, manibus extensis:

Benedíctus sit Deus ac Pater noster,
qui Fílii sui mystéria
et recolénda præbet
et fide celebránda concédit.
Præstet nobis fidélibus suis,
pia Rosárii precatióne suffúltis,
ut, Iesu gáudia, passiónes et glóriam
cum María, eius Matre,
et in corde nostro conférre
et conserváre iúgiter studeámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

1206. Vel:

In memóriam mysteriórum
vitæ, mortis et resurrectiónis Dómini nostri,
ad honórem Vírginis Maríæ,
Matris Christi et Ecclésiæ,
benedicátur qui hac Rosárii coróna devóte oráverit:
in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti.

℟. Amen.

Formula brevis

1207. In peculiaribus adiunctis, sacerdos vel diaconus adhibere potest sequentem formulam brevem:

In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti.

℟. Amen.

CAPUT XXXIX

ORDO BENEDICTIONIS ET IMPOSITIONIS SCAPULARIS

PRÆNOTANDA

1208. Benedictio et impositio scapularis communi celebratione, quantum fieri potest, peragatur. Cum autem agitur de scapularis impositione, qua christifideles ad confraternitatem alicuius Instituti religiosi admittuntur, admissio hæc per sodalem vel per ministrum rite a competenti auctoritate ipsius Instituti delegatum fieri debet.

1209. Pro benedictione et impositione, scapulare adhibendum est forma et materia pro confraternitate vel consociatione de qua agitur definitis; postea vero numismate benedicto substitui potest.

1210. Pro ingressu in confraternitatem qua quis cuiusdam Instituti religiosi spiritualiter fit particeps, particulares normæ a singulis Institutis præfinitæ præ oculis habeantur, eæque integre serventur.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

1211. Populo vel saltem membris confraternitatis congregatis, celebrans accedit dum opportune canitur hymnus qui peculiari celebrationi congruat. Cantu absoluto, celebrans dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

1212. Deinde celebrans adstantes salutat, dicens:

Grátia vobis et pax a Deo Patre nostro,
a quo, per Fílium ex Vírgine natum,
bona cuncta procédunt.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

1213. Tum celebrans adstantes ad ritum celebrandum disponit his vel similibus verbis:

Deus humílibus útitur signis ut magnam suam in nos misericórdiam maniféstet. Humílibus étiam signis homo grati ánimi sensus pandit, voluntátem osténdit Deo serviéndi et propósitum se Baptísmatis consecratióni tota vita fidélem præstándi.
[Hoc Scapuláre quod quasi signum habétur ingréssus in confraternitátem cum Ordine religióso N. in Ecclésia approbáto, speciálem éxprimit voluntátem spíritum eiúsdem Ordinis participándi. Id vero baptismále rénovat propósitum Christum induéndi, auxiliánte Vírgine María, quæ máxime vult ut Christo in laudem Trinitátis conformémur, donec nuptiáli veste indúti, in pátriam cæléstem adducámur].

Lectio verbi Dei

1214. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse celebrans legit textum Sacrarum Scripturarum, ex iis potissimum selectum qui in Lectionario de SS. Trinitate, de mysteriis Domini vel de beata Maria Virgine agunt. Seligi autem opportune potest unus alterve textus ex iis qui illius Instituti religiosi spiritui congruunt, cui confraternitas adhæret.

1215. Vel:

2 Cor 4, 13 — 5, 10 « *Nolumus exspoliari sed supervestiri* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Corínthios.

Habéntes eúndem spíritum fídei, sicut scriptum est: « Crédidi, propter quod locútus sum », et nos crédimus, propter quod et lóquimur, sciéntes quóniam, qui suscitávit Dóminum Iesum, et nos cum Iesu suscitábit et constítuet vobíscum. Omnia enim propter vos, ut grátia abúndans per multos gratiárum actiónem abundáre fáciat in glóriam Dei. Propter quod non defícimus, sed licet is, qui foris est, noster homo corrúmpitur, tamen is, qui intus est, noster renovátur de die in diem. Id enim, quod in præsénti est, leve tribulatiónis nostræ supra modum in sublimitátem ætérnum glóriæ pondus operátur nobis, non contemplántibus nobis, quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur; quæ enim vidéntur, temporália sunt, quæ autem non vidéntur, ætérna sunt.
Scimus enim quóniam si terréstris domus nostra huius tabernáculi dissolvátur, ædificatiónem ex Deo habémus domum non manufáctam, ætérnam in cælis. Nam et in hoc ingemíscimus habitatiónem nostram quæ de cælo est, superíndui cupiéntes, si tamen et exspoliáti, non nudi inveniámur. Nam et, qui sumus in tabernáculo, ingemíscimus graváti, eo quod nólumus exspoliári sed supervestíri, ut absorbeátur, quod mortále est, a vita. Qui autem effécit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis arrabónem Spíritus.
Audéntes ígitur semper et sciéntes quóniam, dum præséntes sumus in córpore, peregrinámur a Dómino; per fidem enim ambulámus et non per spéciem. Audémus autem et bonam voluntátem habémus magis peregrinári a córpore et præséntes esse ad Dóminum. Et ídeo conténdimus sive præséntes sive abséntes placére illi. Omnes enim nos manifestári opórtet ante tribúnal Christi, ut réferat unusquísque pro eis, quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum.

1216. Tum celebrans homiliam habet, qua sensum celebrationis adstantibus illustret.

PRECES

1217. Sequitur prex communis. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, celebrans seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria fidelium vel rerum adiuncta respiciant.

Deíparæ suffrágio suffúlti, quæ Verbo pro nobis in ea de Spíritu Sancto incarnáto vestem nostræ mortalitátis contéxuit, ut fratris nostri primogéniti grátiam participémus, et in Dei laudem vivámus, Patrem deprecémur, dicéntes:

℟. *Christum nos, Deus, indúere concéde.*

Qui Fílium dilectiónis tuæ
carnem nostram indúere disposuísti,
ut per eum hómines vitæ tuæ partícipes
in Christo fíerent;
— fac ut fílii tui semper nominémur et simus. ℟.

Qui Christum in ómnibus nobis símilem voluísti,
præter peccátum
ut, eum secúti, confórmes simus
imágini Fílii tui:
— Christum nos sequi concéde
ut tibi in ómnibus placeámus. ℟.

Qui hómines, regni tui nuptiáli veste indútos,
ad grátiæ ádvocas convívium
ut te ipsum eis reveláre dignéris,
— doce nos fidéliter tibi servíre. ℟.

Qui per Apóstolum tuum nos hortáris
ut bonus Christi odor in mundo simus,
— fac ut Christi præséntiæ signum
inter fratres agnoscámus. ℟.

Qui veste iustítiæ et sanctitátis nos ornas
ut tibi in Spíritu Sancto vitam agéntes
Ecclésiæ sanctitátem exprimámus:
— nos per Christum in dies sanctífica,
ut fratrum quoque salúti generóse cooperémur. ℟.

Qui omni benedictióne spiritáli
nos in Christo semper benedícis,
donec nuptiáli veste indúti,
ipsi veniénti occurrámus:
— fac ut, Vírgine María interveniénte,
de morte ad vitam felíciter gradiámur. ℟.

ORATIO BENEDICTIONIS

1218. Tum celebrans, extensis manibus, subiungit:

Deus, sanctitátis auctor et consummátor,
qui renátos ex aqua et Spíritu Sancto
ad vitæ christiánæ plenitúdinem
et caritátis perfectiónem vocas,
fámulos tuos propítius réspice
hoc scapuláre in laudem Trinitátis
(ad honórem v.gr. Passiónis Christi)
(ad honórem beátæ Maríæ Vírginis)
devóte suscipiéntes,
ut Christi Fílii tui imágini confórmes efficiántur
et huius vitæ cursu felíciter consummáto,
Deípara Vírgine auxiliánte, in gáudium domus tuæ
intráre mereántur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

IMPOSITIO SCAPULARIS

1219. Deinde celebrans scapulare candidatis imponit verba sequentia proferens, vel similia ut in proprio Rituali:

a) *Pro scapulari in honorem Trinitatis vel mysteriorum Iesu Christi*

Accipe hunc hábitum
quo in religiósæ famíliæ N.
Trinitáti Sanctíssimæ
(vel v.gr. Passióni Iesu Christi) dicátæ
confraternitátem admítteris,
et ita age ut, Deípara auxiliánte,
ad Trinitátis glóriam
atque Ecclésiæ et hóminum bonum
in dies Christum indúere sátagas,
qui nos redémit in sánguine suo.
℟. Amen.

b) *Pro scapulari in honorem b. Mariæ Virginis*

Accipe hunc hábitum
quo in religiósæ famíliæ N.,
beátæ Maríæ Vírgini dicátæ,
confraternitátem admítteris,
et ita age ut, Deípara auxiliánte,
ad Trinitátis glóriam
atque Ecclésiæ et hóminum bonum
in dies Christum indúere sátagas
eúmque in te vivéntem maniféstes.
℟. Amen.

1220. Pro opportunitate, celebrans formulam impositionis semel pro omnibus pronuntiat, elata voce.

Omnes respondent una simul: Amen, et ad celebrantem accedunt scapulare recepturi.

1221. Tum celebrans, ad novos confratres versus, dicit:

Hoc Scapulári indúti,
in famíliam religiósam N. suscépti estis,
ut Christo eiúsque Ecclésiæ
in spíritu eiúsdem Ordinis
impénsius servíre valeátis.
Quod ut perféctius assequámini,
ego, ex potestáte mihi concéssa,
ad participatiónem ómnium bonórum spirituálium
eiúsdem famíliæ religiósæ vos admítto.

1222. Confraternitatis officiis et obligationibus declaratis, celebrans omnes aqua benedicta aspergit, nihil dicens.

CONCLUSIO RITUS

1223. Celebrans ritum concludit, dicens:

Omnípotens Deus sua vos cleméntia benedícat,
et sensum in vobis sapiéntiæ salutáris infúndat.
℟. Amen.

Fídei documéntis vos semper enútriat,
et in sanctis opéribus, ut perseverétis, effíciat.
℟. Amen.

Gressus vestros ad se convértat,
et viam vobis pacis et caritátis osténdat.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

vel alia formula benedictionis, ratione habita cum titulo ipsius scapularis.

1224. Ritus laudabiliter cantu apto perficitur.

PARS QUINTA

DE BENEDICTIONIBUS AD DIVERSA

PRÆNOTANDUM PARTIS QUINTÆ

1225. Christifidelium vita multimodis crescit, cum in Spiritu Domini et iuxta eius mandata, quæ ad conversationem fovendam inter homines bona sunt, necnon fructus naturæ et industriæ nostræ propagat. Crescit ideo etiam cum Dominus nos benedicit et nos Dominum benedicimus,[1] quapropter ei gratias agimus eiusque auxilium apta celebratione ac prece imploramus, ut quæ nobis concessit debito modo ad regnum Dei consummandum adhibeantur.

Schemata, quæ in hac parte proponuntur, cum varias occasiones orationis et gratiarum actionis prævideant, sedulo diversis rerum circumstantiis accommodari debent.

[1] Cf. S. AUGUSTINUS, *Enar. in ps* 66, 1: PL 36, 802; CCL 39, 856.

CAPUT XL

ORDO BENEDICTIONIS IN GRATIARUM ACTIONE AGENDA PRO ACCEPTIS BENEFICIIS

PRÆNOTANDA

1226. Christifideles, qui celebrationis eucharisticæ gratiam ad vitam cotidianam dilatare student, curant ut in gratiarum semper maneant actione. Suis autem donis Deus incessanter ad grates advocat rependendas; id vero tum potissimum valet cum Deus peculiaria beneficia fidelibus suis tribuit, quos proinde ad Deum laudandum et benedicendum congregari decet.

1227. Ordo, qui hic præbetur, adhiberi potest tum a sacerdote, tum a diacono, tum etiam a laico, ritibus et formulis pro ipso prævisis, qui omnes, ritus structura et potioribus elementis servatis, personarum et locorum adiunctis singulas partes aptabunt.

1228. Congruenter hic Ordo adhibetur, si non adest presbyter, ubi mos viget aliquam habendi gratiarum actionis celebrationem in fine anni.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

1229. Communitate congregata, minister dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

1230. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, adstantes salutat, dicens:

Deus, dives in misericórdia,
qui mirabília facit pópulo suo,
sit semper vobíscum.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

1231. Si vero minister est laicus, adstantes salutat, dicens:

Fratres, Deum benedícite,
qui dives in misericórdia,
mirabília facit pópulo suo.

Omnes respondent:

Amen.

1232. Tum minister adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Pro donis quibus nos Deus cumuláre dignátus est, cor nostrum in gratiárum actióne ei aperiámus. Apóstolus Paulus nos ádmonet, in ómnibus, Deo Patri grátias agéndas esse per Christum, per quem ómnia nobis donávit. Cum enim fílii Dei facti simus, superabundavérunt divítiæ grátiæ eius in nobis, quos de potestáte eréptos tenebrárum ipse in regnum tránstulit Fílii dilectiónis suæ. Dei ergo agnoscéntes benefícia, nos ipsos ad Eucharístiam plénius participándam comparámus, in qua ómnia bona comprehendúntur et in quam omnis gratiárum áctio effúnditur atque redúndat.

LECTIO VERBI DEI

1233. Deinde lector, vel unus ex adstantibus vel ipse minister legit textum Sacrarum Scripturarum.

Phil 4, 4-7 « *Cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Philippénses.

Gaudéte in Dómino semper. Iterum dico: Gaudéte! Modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus. Dóminus prope. Nihil sollíciti sitis, sed in ómnibus oratióne et obsecratióne cum gratiárum actióne petitiónes vestræ innotéscant apud Deum. Et pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum, custódiet corda vestra et intellegéntias vestras in Christo Iesu.

1234. Vel:

1 Cor 1, 4-9 « *In omnibus divites facti estis in Christo Iesu* ».
Grátias ago Deo meo ...

Col 3, 15-17 « *Gratias agentes Deo Patri per Ipsum* ».
Pax Christi dominétur ...

1 Th 5, 12-24 « *In omnibus gratias agite: hæc enim voluntas Dei est* ».
Rogámus autem vos ...

1 Tim 2, 1-10 « *Obsecro primo omnium fieri gratiarum actiones pro omnibus* ».
Obsecro primo ómnium ...

Lc 17, 11-19 « *Cum magna voce magnificabant Deum* ».
Et factum est dum iret in Ierúsalem ...

1235. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 46 (47), 2-3. 5-6. 7-8. 9-10
℟. (2b) *Iubiláte Deo in voce exsultatiónis!*

Ps 65 (66), 1b-2. 8-9. 10-11. 13-14. 16-17. 19-20
℟. (cf. 16) *Veníte, audíte, et narrábo,*
quanta fecit Deus ánimæ meæ!

Ps 117 (118), 1-2. 5-6. 8-9. 17-19. 26-27. 28-29
℟. (1) *Confitémini Dómino, quóniam bonus,*
quóniam in sǽculum misericórdia eius.

1236. Minister, pro opportunitate adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

1237. Ubi opportunum videtur, sequitur prex communis. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, minister seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

Deum Patrem omnipoténtem, cuius glóriam cæli enárrant et bonitátem omnis exáltat ab eo cóndita creatúra, grátias agéntes collaudémus, et mémores gratíque dicámus:

℟. *Pro univérsis benefíciis tuis, glória tibi, Dómine.*

Pater munificentíssime,
qui in Christo Fílio tuo ómnia nobis donásti,
— fac ut a tua numquam laude cessémus. ℟.

Qui abundántia pietátis tuæ
et mérita súpplicum excédis et vota,
— concéde ut mirabília tua
corde semper et ore canámus. ℟.

Qui signa innumerabília amóris tui
pro nobis liberáliter prǽparas atque dispónis,
— præsta ut dum tua dona recípimus
te donántem pótius discernámus. ℟.

Qui partem bonórum cum áliis communicáre
discípulos tuos docuísti,
— fratres quoque nostros
donórum tuórum tríbuas esse partícipes,
ut gáudii nostri sint et ipsi consórtes. ℟.

1238. Loco communis precis cani potest hymnus *Te Deum laudámus* (cf. App. n. 34), vel canticum *Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino* (cf. App. n. 35), vel canticum *Magníficat* (cf. App. n. 36), vel psalmus.

Oratio benedictionis

1239. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus manibus extensis, si vero est laicus, manibus iunctis, benedictionis orationem profert:

Pater omnípotens,
bonórum ómnium muníﬁce dispensátor,
pro benefíciis nobis collátis
tibi grátias ágimus,
humíliter supplicántes,
ut, quos sóspites in tua benignitáte servásti,
sub umbra alárum tuárum
semper prótegas atque custódias.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

1240. Vel:

Deus, cuius misericórdiæ non est númerus,
et bonitátis infinítus est thesáurus:
piíssimæ Maiestáti tuæ
pro collátis donis grátias ágimus,
tuam semper cleméntiam exorántes,
ut, qui peténtibus postuláta concédis,

eósdem non déserens,
ad prǽmia futúra dispónas.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

CONCLUSIO RITUS

1241. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, ritum concludit, dicens:

Deus Pater, cum Fílio et Sancto Spíritu,
qui fecit vobíscum
secúndum magnam misericórdiam suam,
benedícat vos benedictióne perpétua.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

1242. Si vero minister est laicus, ritum concludit, seipsum signans ac dicens:

Deus Pater, cum Fílio et Sancto Spíritu,
qui fecit nobíscum
secúndum magnam misericórdiam suam,
sit semper benedíctus in sǽcula.

℟. Amen.

1243. Laudabiliter ritus cantu apto perficitur.

CAPUT XLI

ORDO BENEDICTIONIS PRO VARIIS CIRCUMSTANTIIS

PRÆNOTANDA

1244. Ad sanctificanda, peculiari adhibita celebratione benedictionis, ea etiam vitæ adiuncta quæ in superioribus Ordinibus non aperte indicantur (v. gr. adunatio membrorum alicuius familiæ vel cœtus ad celebrandum peculiarem eventum, vel collectio rerum quæ pauperibus destinantur, etc.) proponitur hic ordo celebrationis, qui cum plures præbeat textus eligendos, facilius diversis rerum circumstantiis accommodari potest.

1245. Præsens autem Ordo nihil de principiis derogare intendit. Haud decet enim ex omnibus quibuscumque rebus (v. gr. ex erecto quovis monumento, ex instrumentis bellicis nuper instructis vel ex omnis generis adiunctis) occasionem sumere ad celebrandam aliquam benedictionem. Unaquæquæ vero celebratio semper æquo iudicio pastorali subici debet, præsertim si periculum admirationis apud fideles vel ceteros prævideri possit.

1246. Ordo, qui hic præbetur, adhiberi potest tum a sacerdote, tum a diacono, tum a laico, ritibus et formulis pro ipso prævisis, qui omnes, ritus structura et potioribus elementis servatis, personarum et locorum adiunctis singulas partes aptabunt.

ORDO BENEDICTIONIS

RITUS INITIALES

1247. Communitate congregata, minister dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Omnes signo crucis se signant, et respondent:

Amen.

1248. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, adstantes salutat, dicens:

Deus, bonórum ómnium fons,
sit cum ómnibus vobis.

vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta. Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel alio apto modo.

1249. Si vero minister est laicus, adstantes salutat dicens:

Deum, bonórum ómnium fontem,
fratres, benedicámus.

Omnes respondent:

Amen.

1250. Tum minister adstantes ad benedictionem accipiendam disponit his vel similibus verbis:

Omnia quæ Deus creávit et susténtat, evéntus omnes quos ipse providénter gubérnat, hóminum étiam ópera quæ bona sint et ad bonum indúcant, credéntium corda movent et ora, ut Deum benedícant, bonórum ómnium oríginem et fontem. Hac nostra celebratióne ómnia cooperári in bonum eórum qui Deum timent ac díligunt nos crédere profitémur; qui divínum auxílium semper et in ómnibus quæréndum esse non dubitámus ut Patris nostri voluntáti adhæréntes ómnia ad Dei glóriam in Christo fácere possímus.

LECTIO VERBI DEI

1251. Deinde lector, vel unus ex adstantibus vel ipse minister legit textum Sacrarum Scripturarum.

Col 1, 9b-14 « *In omni opere bono fructificantes* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Colossénses.

Non cessámus pro vobis orántes et postulántes, ut impleámini agnitióne voluntátis eius in omni sapiéntia et intelléctu spiritáli, ut ambulétis digne Dómino per ómnia placéntes, in omni ópere bono fructificántes et crescéntes in sciéntia Dei, in omni virtúte confortáti secúndum poténtiam claritátis eius in omnem patiéntiam et longanimitátem, cum gáudio grátias agéntes Patri, qui idóneos vos fecit in partem sortis sanctórum in lúmine; qui erípuit nos de potestáte tenebrárum et tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ, in quo habémus redemptiónem, remissiónem peccatórum.

1252. Vel:

Rom 8, 24-28 « *Spiritus adiuvat infirmitatem nostram* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Romános.

Spe salvi facti sumus; spes autem, quæ vidétur, non est spes; nam, quod videt quis, sperat? Si autem, quod non vidémus, sperámus, per patiéntiam exspectámus. Simíliter autem et Spíritus ádiuvat infirmitátem nostram; nam quid orémus, sicut opórtet, nescímus, sed ipse Spíritus interpéllat gemítibus inenarrabílibus; qui autem scrutátur corda, scit quid desíderet Spíritus, quia secúndum Deum póstulat pro sanctis.

1253. Vel:

1 Tim 4, 4 « *Omnis creatura Dei bona* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Timótheum.

Omnis creatúra Dei bona, et nihil reiciéndum, quod cum gratiárum actióne percípitur, sanctificátur enim per verbum Dei et oratiónem.

1254. Vel:

Num 6, 22-27 « *Sic benedicetis filiis Israel et ego benedicam eis* ».
Locutúsque est Dóminus ad Móysen, dicens ...

Deut 33, 1. 13b-16a *Benedictio Moysis.*
Hæc est benedíctio, qua benedíxit Móyses ... *13* Benedícta a Dómino ... *16 usque ad* plenitúdine eius.

Sap 13, 1-7 « *A magnitudine et pulchritudine creaturarum cognoscibiliter potest Creator horum videri* ».
Vani autem sunt natúra omnes hómines ...

Sir 18, 1-9 « *Quis sufficit enarrare opera Dei!* ».
Qui vivit in ætérnum, creávit ómnia simul ...

1255. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus:

Ps 104 (105), 1-2. 3-4. 5 et 7. 8-9
℟. (43) *Edúxit Dóminus pópulum suum in exsultatióne!*

Ps 105 (106), 2-3. 4-5. 45-46. 47. 48
℟. (1) *Confitémini Dómino, quóniam bonus,*
quóniam in sǽculum misericórdia eius.

Ps 106 (107), 2-3. 8-9. 31-32. 42-43
℟. (6) *Clamavérunt ad Dóminum, cum tribularéntur,*
et de necessitátibus eórum erípuit eos.

1256. Minister, pro opportunitate adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant.

PRECES

1257. Ubi opportunum videtur, ante orationem benedictionis, communis prex haberi potest. Ex invocationibus quæ infra proponuntur, minister seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant.

Deus univérsa díligit quæ creávit, eáque servat ómnibus benedícens. Ut suam nunc benedictiónem impértiat nosque sua consolatióne récreet atque sustíneat, humíliter precémur, dicéntes:

℟. *Benedíctio tua sit super nos, Dómine.*

Ætérne Deus, qui altiórem donas huius vitæ sensum
si tu ex corde serviámus voluntáti,
— nos spíritu sanctitátis tuæ
benígnus implére dignéris. ℟.

Qui cupis ut dona tua
multiplicáta tibi reddántur et frátribus,
— áccipe múnera nostræ servitútis et dilectiónis. ℟.

Qui semper nos tuæ réspicis óculis pietátis,
— audi vocem sperántium in te, Dómine. ℟.

Qui Fílium tuum in mundum misísti
ut peccáti maledictióne subláta,
benedictiónem tuam nobis afférret,
— omni benedictióne cælésti
in Ipso nos replére dignéris. ℟.

Qui Spíritum Fílii tui in corda nostra effudísti,
in quo clamámus: Abba Pater,
— fílios exáudi, qui Patris bonitátem
agnoscéntes exáltant. ℟.

Qui per mortem et resurrectiónem Fílii tui
pópulum tuum tuámque hereditátem nos elegísti,

— nostri meménto in necessitátibus nostris
et bénedic hereditáti tuæ. ℟.

Tum celebrans orationem benedictionis profert, ut infra.

1258. Quando preces non dicuntur, ante orationem benedictionis, celebrans dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Deinde minister benedictionis orationem profert.

ORATIO BENEDICTIONIS

1259. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, manibus extensis, vel si laicus, manibus iunctis, dicit:

1260. a) *Pro rebus creatis*

Benedíctus Deus, Creátor univérsi,
qui ómnia bona fecísti,
et terram hómini coléndam tradidísti:
concéde ut rebus a te creátis,
cum gratiárum actióne semper utámur,
et quæ tua sunt dona cum egéntibus compartiámur,
in caritáte Christi, Dómini nostri.
Qui tecum vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

1261. Vel:

Te benedícimus, Dómine, sancte Pater,
cuius verbo et poténtia facta sunt ómnia;
cuius dono percípimus
quæ ad vitæ subsídium adhibémus:

præsta, quǽsumus, ut fidéles tui,
voluntáti tuæ felíciter obsequéntes,
creatúris istis cum gratiárum actióne
semper utántur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

1262. Vel:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui sic hóminem condidísti
ut huius vitæ benefíciis convenienter instrúctum
ad ætérna dona promovére decérnas,
adésto nobis supplícibus tuis et præsta;
ut præséntium rerum consolatiónibus adiúti,
sufficiéntiam temporálem consequámur
et promissiónis tuæ perficiámur herédes.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

1263. b) *Pro rebus manufactis*

Omnípotens ætérne Deus,
qui mundum creátum homínibus subiecísti,
ut alter reddat álteri offícia caritátis,
preces nostras, quǽsumus, exáudi benígnus,
quibus benedictiónem tuam implorámus
super eos qui his rebus pro sua necessitáte uténtur,
ut te summum bonum iúgiter agnóscant
et fratres suos sincéro prosequántur amóre.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

1264. c) *Pro peculiaribus vitæ adiunctis*

Dómine Deus, de abundántia misericordiárum tuárum
fámulos præsta locuplétes, præsta secúros,

ut, benedictiónibus tuis confirmáti,
in omni gratiárum actióne semper abúndent,
teque perpétua exsultatióne benedícant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

1265. Vel:

Adsit, Dómine, fidélibus tuis
sacræ benedictiónis efféctus,
qui mentes ómnium spiritáli vegetatióne dispónat,
ut ad ópera sua exercénda
virtúte caritátis tuæ roboréntur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

1266. Vel:

Fidéles tuos, Dómine,
benedíctio desideráta confírmet,
quæ eos et a tua voluntáte
numquam fáciat discrepáre,
et tuis semper indúlgeat benefíciis gratulári.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

1267. Vel:

Bénedic, Dómine, plebem tuam,
quæ munus tuæ miseratiónis exspéctat,
et concéde, ut, quod, te inspiránte, desíderat,
te largiénte percípiat.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

1268. Vel:

Plebs tua, Dómine, quǽsumus,
benedictiónis sanctæ munus accípiat,
per quod et nóxia quæque declínet,
et optáta repériat.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

CONCLUSIO RITUS

1269. Tum minister, si est sacerdos vel diaconus, ritum concludit, dicens:

Deus per ómnia benedíctus,
in ómnibus vos per Christum benedícat,
ut ómnia in bonum vestrum cooperéntur.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

1270. Si minister est laicus, ritum concludit, seipsum signans ac dicens:

Deus per ómnia benedíctus,
in ómnibus nos per Christum benedícat,
ut ómnia in bonum nostrum cooperéntur.

℟. Amen.


1271. Laudabiliter ritus cantu apto perficitur.

APPENDIX


CANTUS ANTIPHONARUM ET ALIORUM TEXTUUM

1. Antiphona (n. 229)


VII



Sub tu- um præ-sí-di- um confú-gimus, * sancta De- i Génetrix; no-



stras depre-ca-ti- ónes ne despí-ci- as in neces-si-tá- tibus; sed a pe-rí-cu-




lis cunctis lí-be-ra nos semper, Virgo glo-ri- ó- sa et be- ne- dícta.

2. Antiphona (n. 229)

V



Al-ma * Redemptó-ris Ma-ter, quæ pérvi- a cæ-li porta manes, et




stella ma-ris, succúrre cadénti, súrge-re qui cu-rat, pópu-lo: tu quæ ge-



nu- ísti, na-tú-ra mi-ránte, tu- um sanctum Ge-ni-tó- rem, Virgo pri- us




ac posté- ri- us, Gabri-é-lis ab o-re sumens illud Ave, pecca-tórum mi-



se-ré- re.

3. Antiphona (n. 229)

I




Ave, Ma-rí- a, * grá-ti- a plena: Dóminus tecum: bene-dícta tu †



in mu- li- é- ribus. T. P. † in mu-li- é- ribus, alle- lú- ia.

4. Antiphona (n. 229)


V




Salve, Re-gína, * mater mi-se-ri-córdi- æ; vi-ta, dulcé- do et spes



nostra, salve. Ad te clamámus, éxsu-les fí- li- i Evæ. Ad te su-




spi-rámus, geméntes et flentes in hac lacrimá-rum valle. E- ia ergo,




advocá- ta nostra, illos tu- os mi-se- ri-córdes ócu-los ad nos convér-



te. Et Iesum, bene-díctum fructum ventris tu- i, nobis post hoc ex-




sí- li- um osténde. O cle- mens, o pi- a, o dulcis Vir-



5. Antiphona super Psalmum 95 (n. 355)







6. Hymnus (n. 378)



























7. Antiphona (n. 378)












8. Antiphona: Io 13, 35 (n. 402)











9. Antiphona et cantus « Ubi caritas » (n. 403)



































10. Hymnus (n. 420)












pa-rá-ta, ut intác- ta copu-lé-tur Dómi-no. Pla-té- æ et mu-ri e- ius



ex auro pu- rís-simo; 3. Portæ ni- tent marga- rí- tis ády- tis pa- ténti-



bus, et virtú- te me- ri- tó- rum illuc intro-dú- ci-tur omnis qui ob


Christi nomen hic in mundo pré-mi-tur. 4. Tunsi- ó-ni- bus, pressú- ris


expo- lí- ti lá-pi-des su- is co- aptántur lo- cis per manum artí- fi-cis;



dispo-núntur permansú- ri sacris ædi- fí- ci- is. 5. Gló- ri- a et honor


De- o usquequáque altís- simo, una Patri Fi- li- ó- que atque Sancto



Flá-mini, quibus laudes et po-té-stas per ætérna sǽ-cu-la. (A-men.)


11. Antiphona super Psalmum 35 (n. 862)






12. Antiphona (n. 870)






13. Antiphona (n. 872)












14. Antiphona (n. 872)


VIII





15. Antiphona super Psalmum 33 (n. 923)


III a






16. Rythmus (n. 923)

VI






in ex- ámi-ne. O Ie- su dul- cis! O Ie- su pi- e! O

Ie- su fi- li Ma- rí- æ.

17. Antiphona super Psalmum 23 (n. 946)

III a

Tól- lite portas, * príncipes, vestras, et e-le-vámi-ni, portæ æ-ter-

ná- les. E u o u a e.

18. Antiphona super Psalmum 97 (n. 971)

VII c

Nos autem * glo-ri- á-ri opór- tet in cru-ce Dómi-ni nostri

Ie-su Christi. E u o u a e.

19. Antiphona super Psalmum 66 (n. 979)

IV

Cru-cem tu- am * ado-rámus, Dómi-ne, et sanctam re-surrecti- ónem

tu- am laudámus et glo-ri- fi-cámus: ecce e-nim propter lignum ve-

nit gáudi- um in u-ni- vérso mundo. Ps. De- us mi-se-re- á-tur nostri

et be-ne- dí- cat no-bis: il-lúmi-net vultum su- um super nos, et mi-

se-re- á- tur nostri.

Et repetitur antiphona: Crucem tuam.

20. Antiphona (n. 979)

II D

Per signum Cru- cis * de i-ni-mí- cis no-stris líbe- ra nos, De-

us noster. E u o u a e

21. Cantus (n. 1015)

V

Bene- dí- cta es tu, * Virgo Ma- rí- a, a Dó-

mi-no De- o ex- cél- so, præ ómni- bus mu- li- é- ri-

bus su- per ter-ram.

22. Antiphona (n. 1029)

V

Laudem dí-ci-te De- o no- stro, o- mnes Sancti e- ius, et qui timé-tis De- um, pu-síl-li et magni: quóni- am regnávit Dóminus De- us noster omní- po- tens. Gaude- á- mus et exsultémus, et demus gló-ri- am e- i.

23. Antiphona (n. 1029)

IV E


Sa-pi- énti- am * Sanctó- rum narrant pópu- li, et laudes e- órum pronúnti- at omnis ecclé- si- a.

24. Antiphona super Psalmum 149 (n. 1048)


II D

Cantá-te Dómino, * et bene-dí-ci- te nó-mi-ni e- ius. T.P. e- ius, alle- lú- ia. E u o u a e.

25. Hymnus (n. 1100)



Ve-xíl-la re- gis pró- de- unt, fulget crucis mysté- ri- um, quo car-



ne carnis cóndi- tor su- spén- sus est pa-tí-bu-lo.

2. Salv*e*, ara, salve, víctima,
de passiónis glória,
qua Vita mortem pértulit
et morte vitam réddidit!

3. O crux, ave, spes única!
hoc passiónis témpore
piis adáuge grátiam
reísque dele crímina.

4. Te, fons salútis, Trínitas,
colláudet omnis spíritus;
quos per crucis mystérium
salvas, fove per sǽcula.


5. Quo, vulnerátus ínsuper
mucróne diro lánceæ,
ut nos laváret crímine,
manávit und*a* et sánguine.

6. Arbor decór*a* et fulgida,
ornáta regis púrpura,
elécta digno stípite
tam sancta membra tángere!


7. Beáta, cuius brácchiis
sæcli pepéndit prétium;
statéra facta córporis
prædam tulítque tártari. (Amen.)

26. Sequentia (n. 1111)

Hæc sequentia dicitur vel integra vel forma breviore, inde a verbis: * Sancta mater (str. n. 11):



Stabat mater do-lo- rós-a iuxta crucem lacrimó-sa, dum pendébat



Fí- li- us.

2. Cuius ánimam geméntem,
contristátam et doléntem
pertransívit gládius.

3. O quam tristis et afflícta
fuit illa benedícta
mater Unigéniti!

4. Quæ mærébat et dolébat
pia mater, cum vidébat
Nati pœnas íncliti.

5. Quis est homo qui non fleret,
matrem Christi si vidéret
in tanto supplício?

6. Quis non posset contristári,
piam matrem contemplári,
doléntem cum Fílio?

7. Pro peccátis suæ gentis
vidit Iesum in torméntis
et flagéllis súbditum.

8. Vidit suum dulcem Natum
moriéntem, desolátum,
cum emísit spíritum.

9. Eia, mater, fons amóris,
me sentíre vim dolóris
fac, ut tecum lúgeam.

10. Fac ut árdeat cor meum
in amándo Christum Deum,
ut sibi compláceam.

11. * Sancta mater, istud agas,
Crucifíxi fige plagas
cordi meo válide.

12. Tui Nati vulneráti,
tam dignáti pro me pati
pœnas mecum dívide.

13. Fac me vere tecum flere,
Crucifíxo condolére,
donec ego víxero.

14. Iuxta crucem tecum stare
ac me tibi sociáre
in planctu desídero.

15. Virgo vírginum præclára,
mihi iam non sis amára;
fac me tecum plángere.

16. Fac ut portem Christi mortem,
passiónis fac me sortem
et plagas recólere.


17. Fac me plagis vulnerári,
cruce hac inebriári
et cruóre Fílii.

18. Flammis urar ne succénsus,
per te, Virgo, sim defénsus
in die iudícii.


19. Fac me cruce custodíri,
morte Christi præmuníri,
confovéri grátia.

20. Quando corpus moriétur,
fac ut ánimæ donétur
paradísi glória. (Amen.)


27. Hymnus (n. 1113)

VIII



Ad cenam Agni pró-vi-di, sto-lis sa-lú-tis cándi-di, post tránsi-




tum ma-ris Rubri Christo ca-námus prínci-pi. 2. Cuius corpus sanc-




tíssimum in a- ra crucis tórridum, sed et cru- ó-rem róse- um gu-




stándo, De -o ví- vimus. 3. Pro-técti paschæ véspero a de- vastánte




ánge-lo, de Phara- ó-nis áspe-ro sumus e- répti impé-ri- o. 4. Iam




pascha nostrum Christus est, agnus occí-sus ínno-cens; since- ri- tá- tis




á-zyma qui carnem su- am óbtu- lit. 5. O vera, digna hósti- a, per





quam frangúntur tárta-ra, captí-va plebs redími-tur reddúntur vi-tæ

















28. Antiphona super Psalmum 117 (n. 1124)



29. Antiphona super Psalmum 117 (n. 1124)





30. Antiphona super Psalmum 117 (n. 1124)

I f

Hæc porta Dómi-ni: * iusti intrábunt in e- am. E u o u a e.

31. Antiphona super Psalmum 133 (n. 1125)

II D

Audí-vi vo-cem * de cælo di-céntem: Be- á- ti mórtu- i, qui in Dómino mo-ri- úntur. E u o u a e.

32. Antiphona super Psalmum 50 (n. 1130)

I f

Ex-sultábunt Dómino ossa humi- li- á-ta. E u o u a e.

33. Hymnus (n. 1187)

II

Te ge- sti- éntem gáudi- is, te sáuci- am do- ló- ri-bus, te iugi amíctam gló-ri- a, o Virgo Ma- ter, pángimus.

2. Ave, redúndans gáudio
dum cóncipis, dum vísitas,
et edis, offers, ínvenis,
mater beáta, Fílium.


3. Ave, dolens et íntimo
in corde agónem, vérbera,
spinas crucémque Fílii
perpéssa, princeps mártyrum.

4. Ave, in triúmphis Fílii,
in ígnibus Paráclìti,
in regni honóre et lúmine
regína fulgens glória.


5. Veníte, gentes, cárpite
ex his rosas mystériis,
et pulchri amóris ínclitæ
matri corónas néctite.

6. Iesu, tibi sit glória,
qui natus es de Vírgine,
cum Patre et almo Spíritu,
in sempitérna sǽcula. (Amen.)


34. Hymnus (n. 1238)



Te De- um laudámus: * te Dóminum confi- témur. Te æ-térnum




Patrem, omnis terra vene- rá-tur. Ti-bi omnes ánge- li, ti-bi cæ- li et




uni-vérsæ potestá-tes: Ti-bi chérubim et séraphim incessá-bi- li voce




proclámant: Sanctus: Sanctus: Sanctus Dóminus De-us Sába- oth.




Pleni sunt cæ-li et terra ma- iestá- tis gló-ri- æ tu-æ. Te glo-ri- ó-sus




Aposto-lórum chorus. Te prophe-tá-rum laudá-bi- lis núme-rus. Te már-




ty-rum candidá-tus laudat ex-érci-tus. Te per orbem terrá-rum sancta




confi-té-tur Ecclé- si- a: Pa-trem imménsæ ma- iestá- tis; Vene-rándum




tu- um verum et úni-cum Fí- li- um; Sanctum quoque Pa-rá-cli-tum




Spí-ri-tum. Tu rex gló-ri- æ, Christe. Tu Patris sempi-térnus es Fí- li- us.




Tu, ad li-be-rándum susceptú-rus hómi-nem, non horru- ísti Vírgi-nis




ú-te-rum. Tu, devícto mortis acú-le- o, ape-ru- ísti credéntibus regna




cæ-lórum. Tu ad déxte-ram De- i sedes in gló-ri- a Patris. Iudex



cré-de-ris esse ventúrus. Te ergo quǽsumus, tu- is fámu-lis súbveni,




quos pre- ti- ó-so sánguine redemísti. Ætérna fac cum sanctis tu- is




Hæc ultima pars hymni ad libitum omitti potest:



















35. Antiphona et canticum Danielis (n. 1238)





Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino, *
laudáte et superexaltáte eum in sǽcula.
Benedícite, cæli, Dómino, *
benedícite, ángeli Dómini, Dómino.
Benedícite, aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Dómino, *
benedícat omnis virtus Dómino.
Benedícite, sol et luna, Dómino, *
benedícite, stellæ cæli, Dómino.

Benedícite, omnis imber et ros, Dómino, *
benedícite, omnes venti, Dómino.
Benedícite, ignis et æstus, Dómino, *
benedícite, frigus et æstus, Dómino.

Benedícite, rores et pruína, Dómino, *
benedícite, gelu et frigus, Dómino.
Benedícite, glácies et nives, Dómino, *
benedícite, noctes et dies, Dómino.

Benedícite, lux et ténebræ, Dómino, *
benedícite, fúlgura et nubes, Dómino.
Benedícat terra Dóminum, *
laudet et superexáltet eum in sǽcula.
Benedícite, montes et colles, Dómino, *
benedícite, univérsa germinántia in terra, Dómino.
Benedícite, mária et flúmina, Dómino, *
benedícite, fontes, Dómino.

Benedícite, cete et ómnia
quæ movéntur in aquis, Dómino, *
benedícite, omnes vólucres cæli, Dómino.
Benedícite, omnes béstiæ et pécora, Dómino, *
benedícite, fílii hóminum, Dómino.


Bénedic, Israel, Dómino, *
laudáte et superexaltáte eum in sǽcula.
Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino, *
benedícite, servi Dómini, Dómino.

Benedícite, spíritus et ánimæ iustórum, Dómino; *
benedícite, sancti et húmiles corde, Dómino.
Benedícite, Ananía, Azaría, Mísael, Dómino, *
laudáte et superexaltáte eum in sǽcula.

Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu; *
laudémus et superexaltémus eum in sǽcula.
Benedíctus es in firmaménto cæli *
et laudábilis et gloriósus et superexaltátus in sǽcula.

In fine huius cantici non dicitur: Glória Patri.


36. Canticum evangelicum: Lc 1, 46-55 (n. 1238)



Magní- fi- cat * á-nima me- a Dómi-num, qui- a re-spé-xit De-us



humi- li- tá-tem me- am. Magní- fi-cat * á-nima... Et exsultá-vit...



E u o u a e.

Exsultatio Ecclesiæ in Deo Salvatore

Magníficat *
  ánima mea Dóminum,
et exsultávit spíritus meus *
  in Deo salvatóre meo,
quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ. *
  Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes,
quia fecit mihi magna, qui potens est, *
  et sanctum nomen eius,
et misericórdia eius in progénies et progénies *
  timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo, *
  dispérsit supérbos mente cordis sui;
depósuit poténtes de sede *
  et exaltávit húmiles;
esuriéntes implévit bonis *
  et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel púerum suum, *
  recordátus misericórdiæ,
sicut locútus est ad patres nostros, *
  Abraham et sémini eius in sǽcula.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. *
Sicut erat in princípio, et nunc et semper,
  et in sǽcula sæculórum. Amen.

INDICES

INDEX ALPHABETICUS BENEDICTIONUM

INDEX LECTIONUM

NB. *Numeri qui notantur respondent textibus,* non *paginis.*
Numeri caractere italico impressi respondent textibus quorum unice titulus et initium indicatur.

I. LECTIONES VETERIS TESTAMENTI

II. LECTIONES NOVI TESTAMENTI

INDEX PSALMORUM ET CANTICORUM

NB. *Numeri qui notantur respondent formulis,* non *paginis.*

I. PSALMI

II. CANTICA VETERIS TESTAMENTI

ISAIAS:

III. CANTICA NOVI TESTAMENTI

LUCAS:

APOCALYPSIS:

INDEX

Pars secunda

De benedictionibus quæ ædes et christifidelium multimodam navitatem spectant

Pars tertia

DE BENEDICTIONIBUS RERUM QUÆ IN DOMIBUS ECCLESIÆ AD USUM LITURGICUM VEL PIÆ DEVOTIONIS DESTINANTUR AUT ERIGUNTUR

Pars quarta

De benedictionibus rerum quæ ad devotiones populi christiani fovendas traduntur

Pars quinta

De benedictionibus ad diversa

HOC VOLUMEN
TYPIS VATICANIS
EXCUSUM EST

IMAGINEM INITIO VOLUMINIS POSITAM
IOANNES ALOISIUS UBOLDI
DELINEAVIT